VINDICIÆ
Brevis Historiæ Jansenismi, & Defensionis *ejusdem Historiæ*

ADVERSUS

Apologiam tertiam Panegyreos Jansenianæ.

Ne innitaris prudentia tua.... Ne sis sapiens apud temetipsum. Prov. 3.

Nisi credideritis non intelligetis. Isaiæ 7. ℣. 9.

Juxta 70. Interpretes & S. Augustinum.

Accessit ejusdem ferè argumenti Opusculum Gallicum demonstrans plurimos graves errores variasque injurias contineri in libro recenter edito cum hac inscriptione: *Histoire generale du Jansenisme.* Accessit item quoddam folium cum hoc titulo: *Parallelum quinque famosarum Propositionum cum aliis* &c. in quo visibiliter ostenditur quod tam ista *Generalis Historia*, quam *Panegyris Janseniana*, medullam & quintam-essentiam Jansenismi disertè foveant.

Per L. C. DE DECKER S. T. L.
Ecclesiæ Metrop. Mechliniensis Canonicum.

Prostant
LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE 1702.
Cum Approbatione.

Multas & graves causas objicientes quas non poterant probare. Actorum 25.

PRÆFATIO.

DEfensio brevis Historię Jansenismi *conscripta adversùs Apologiam secundam Panegyreos Jansenianæ, in lucem prodiit sub finem anni* 1700. *, cùmque nihil responsi anno immediatè sequenti aut hujus initio reciperetur, sperandum videbatur quòd Panegyrista Jansenianus Sanctiones Pontificias oppugnare desineret, præsertim Apologiâ istâ secundâ per Sacram* Congregationem 26. Oct. 1701. *prohibitâ ac damnatâ. At nihilominus circa Æquinoctium Vernum proximè præteritum apparêre tandem cœpit Apologia tertia, quæ (fortasse ne Panegyrista tam diu tacuisse observaretur)*

retur) *annum impressionis adscriptum in fronte gerit* M. D. CCI., *& cujus Auctor Apostolica Decreta vilipendere pergens, ipsam Jansenismi medullam & quintam-essentiam, sive quinque famosarum Propositionum hæreses à Summis Pontificibus, accedente Ecclesiarum consensione, damnatas, damnare se nolle documentis ulterioribus ostendit; erroresque suos non satis sincerè, nec sine quibusdam in Clerum Gallicanum Panegyreos Jansenianæ Censorem, pluresque ejusdem Cleri cœtus anteriores obtrectationibus, partim ex libro recenter edito, cui titulus:* Histoire Generale du Jansenisme, *partim aliunde petitis, propugnare conatur.*

Conqueritur autem primò me ad quæstiones palmarias unde tota decisio litis pendet, *responsum inurbanè subterfugere. Secundò affirmat* cardinem ac summam disputationis nostræ in hoc posita esse;

esse: Utrùm Subscriptores, adeòque & Exactores Formularii à noxis variis quas gestioni illi indivulsè illigatas ostendit, (*seu potiùs ostendisse se putat*) non per unum ἀυτός ἔφα sed solidis rationibus purgari valeant. *Deinde repetitis istius suæ prætensionis argumentis, additisque his verbis*; Hic ergo causæ nostræ nucleus est & caput dissidii, *tum cujusdam fundamenti nostri, quod Achilleum vocat, solutionem aggreditur, hâcque occasione ad longam & parum pertinentem Historiæ Gallicanæ super Formularii negotio narrationem, quæ plus quàm tertiam scripti sui partem obtinet, excurrit. Quo facto venit ad* sensum obvium, *quem vocat* secundum disputationis nostræ caput. *Ac tandem sic præfatus:* " *His duobus capitibus primariis stabilitis*, leviori race-" matione *percurrenda sunt, quæ* " *Canonicus vel secundaria vel*

 " *parum*

„parum ad rem de qua contendi-„mus pertinentia, vel penitus pa-„rerga interserit.” Sic, inquam, præfatus, alia quædam, pluribus prætermissis, valdè leviter attingit; suamque illam tertiam Apologiam concludit his verbis: ” Puer junior Daniel in-„sontem Susannam, insidiosis de-„lationibus testium iniquorum „morti addictam, clamore suo à „damnatione eripuit; ita & ego „puer A. a. a. fortassis ab Eccle-„siæ Præfectis, miserante Do-„mino, tandem audiar pro Jan-„senio contentâ voce clamans: „Revertimini ad judicium: quia „falsum testimonium locuti sunt „adversùs eum. Dan. 13.” *Atque ita non modò de Canonico, qui parvæ considerationis est, sed de ipsis Summis Pontificibus, de Gallicanæ ac Belgicæ Ecclesiæ Episcopis, aliisque innumeris, ac signanter de Lovaniensis Academiæ Theologis, super duobus antedi-*

ctis

ctis Formularii Alexandrini & sensûs obvii Innocentiani capitibus, gloriosissimum triumphum expectat. Sed quàm inani spe nitatur iste puer A, a. a., novusque iste Daniel, demonstratum imus. Attamen non præcisè à prædictis capitibus exordiemur, quæ Panegyrista in hac tertia Apologia pro primariis habere videtur, (quamvis in secunda Apologia Goliathismum suum sive solennem provocationem suam, postmodum in nostra Defensione *compressam, tamquam* primarium suum scopum *proposuerit*) *sed initium sumemus ab eo quod reverà caput primarium controversiæ est; & quo dirempto pœnè omnia cessant; nimirum ab hac quæstione:* In quo consistat Jansenismus, seu quinta-essentia ejus? *sive* Quo sensu damnatæ, damnandæque sint quinque famosæ Propositiones? *Quo peracto, mox ad duo præfata capita, & inde ad cætera transibimus.*

A P-

APPROBATIO.

Legi *Vindicias brevis Historiæ Jansenismi & Defensionis ejusdem Historiæ*, cum adjuncto Opusculo Gallico & Parallelo, nihilque in eis reperi contrarium sanæ fidei aut bonis moribus; sed notavi constantem sibi & ingeniosam Auctoris diligentiam, mentisque mansuetudinem, quâ fortiter revincit Adversarium, suaviterque allicit ad Obedientiam & Pacem Christianam. Unde censeo hoc Opus luce publicâ dignum. Mechliniæ Kalendis Aug. 1702.

J. LACMAN S.T.D.
Archidiaconus Mechl. Librorum Censor.

VIN-

VINDICIÆ
Brevis Historiæ Jansenismi, & Defensionis ejusdem Historiæ.

§. 1.

An quinque Famosæ Propositiones damnatæ, damnandæque sint in illo sensu quem earum tenor præ se fert, sive quem ipsarum Propositionum verba per se exhibent? An in sensu illo Lutherano aut Calvinistico qui in Panegyri Jansenianna vel in ejus Prologo exprimitur; sicuti videre est in secunda & tertia columna Paralleli *hic juncti?*

QUandoquidem Panegyrista Jansenianus in sua Apologia tertia vix quidquam ad ea quæ præcipuam hanc quæstionem tangunt, respondeat, visum est, id etiam exigente claritate, secundum *Defensionis* paragraphum hic repetere.

In principaliori Historiæ parte, quæ ab Apologia (*secunda*) non attingitur,

ex Santamoreo inter cætera narratum est, qualiter ille Doctor ejusque socii sæpius exposuerint S. Sedi, quòd quinque Propositiones essent ambiguæ & æquivocæ, ideoque omninò necesse foret varios earum sensus distinguere, quemadmodum ipsi sensus illos in *Brevissima 5. Propositionum* &c. sive in famoso trium columnarum Scripto, distinxerunt; scilicet in prima columna ponendo prætensos earum sensus hæreticos, seu Lutheranos & Calvinisticos, prout in *Historia Brevi* exhibentur n. XIX.

Narratur præterea n. XIV. quomodo Deputatis istis econtrà significatum fuerit quòd S. Sedes quinque Propositiones secundùm seipsas sive secundùm terminos quibus constant, qualificare intenderet. Et n. XXI. ex ipsa Constitutione Innocentii manifestum esse dicitur, quòd quinque Propositiones non sint damnatæ in sensibus hæreticis assignatis in præfato trium columnarum Scripto, sed damnatæ sint juxta suum tenorem, licet unà in sensu Jansenii seu libri ejus.

Item narratur n. XXII. quomodo profiteatur Santamoreus se suosque socios Constitutione editâ, simpliciter acquie-

quievisse Propositionum absolutæ condemnationi, & quomodo fateatur Propositiones in suo naturali, litterali & rigoroso verborum sensu esse damnatas: nec non quomodo Paulus Irenæus, apud eundem Santamoreum in collectaneis, hæc verba scripserit anno 1657. "Omnes ad unum Catholici istas Pro„positiones proscribunt, *& quidem in* „*proprio verborum sensu.*"

Insuper narratur ibidem quomodo his non obstantibus videatur quòd aliqui etiam post Constitutionem existimârint sufficere quòd damnarent quinque Propositiones juxta sensus hæreticos ipsis attributos in primis columnis præfati Scripti *Distinctionis sensuum*: adeo ut tam non damnârent quinque Propositiones juxta suum tenorem, juxta quem illas damnaverat S. Sedes, quam non damnârent juxta sensum Jansenii, juxta quem etiam illas damnaverat eadem S. Sedes: sed solummodò damnârent Propositiones à quinque famosis quoad sensum reverà diversas: prout videre est has quinque conferendo cum quinque aliis primarum columnarum sensus hæreticos exprimentibus. Atque ita, si non mali-

tiosâ, quod piè credendum est, saltem verâ Propositionum permutatione, fidei definitiones eludebantur. Idque profectò nonnunquam ita contigisse, credibilius ex eo redditur, quod etiam modò quidam Scriptor Prologi Panegyreos pag. 67. optet primæ Propositionis sensum hunc ab omnibus Christi fidelibus reprobandum explicari, "Aliqua Dei præcepta justis omnibus „volentibus & conantibus secundùm „præsentis vitæ vires sunt absolutè im„possibilia, deest quoque iisdem gra„tia quâ possibilia fiant." *Hunc secundæ.* "Interiori gratiæ, utpote liberum „arbitrium necessitanti, seu violentiam „adferenti, nunquam resistitur." *Hunc tertiæ.* "Ad merendum & demeren„dum in statu naturæ lapsæ non requi„ritur in homine libertas à necessitate „naturali, qualem in brutis cogita„mus, sed sufficit libertas à coactione." "*Hunc quartæ.* "Semipelagiani in hoc „erant hæretici, quod vellent gratiam „talem esse, ut voluntas non posset ab „illa, utique violentiam adferente, dis„sentire si vellet." *Et quintæ hunc.* "Se„mipelagianum est dicere, Christum „sive voluntate divinâ, quam antece-

„den-

„dentem vocant, sive desiderii cujus„dam humanâ, pro omnibus omninò „hominibus mortuum esse, aut san„guinem fudisse." Porrò consideranti patet illas quinque Propositiones quoad sensum omninò differre à quinque famosis, adeò ut qui illas damnat, non ideò damnet quinque famosas, nempe (prout à S Sede damnatæ sunt) juxta suum tenorem, sive juxta sensum obvium, quem ipsamet Propositionum verba præ se ferunt. Ac proinde agitur hic de famosarum quinque Propositionum hæresibus, & non tantum de eo quod vocant factum Jansenii controversum; id est non tantum de eo, an ille sensus obvius quem ipsamet 5. Propositionum famosarum verba præ se ferunt, importetur, necne, in libro Jansenii. Hęc ibi. Igitur Panegyrista Jansenianus per hæc *Brevis Historiæ* verba gravissimè fuit argutus, nempe quod quinque Propositionum hęreses damnare nollet, sed earum loco hæreses alias à se aliisque damnandas substitueret.

Porrò quid ad hanc momentosissimam admonitionem reponit Panegyrista in Apologia illa secunda, quam adeò præmeditatè adversùs *Historiam*

Brevem elucubravit? Apertè fatetur pag. 17. quod mecum admittat, Augustini ac Jansenii defensores assignavisse Propositionibus sensum Lutheranum & Calvinisticum: & addit, quod *quamvis ante Constitutionem Pontificiam nonnulli eum assignaverint tremuli, post illam tamen planissimè & uno consensu velut naturalem, &, si velis, obvium receperint.*

Unde liquidò sequitur Jansenismum non fuisse nec esse merum *spectrum*, sicuti Apologiæ I. pag. 24. & Apologiæ II. pag. 4. contenditur; sed etiam modò non deesse qui quinque Propositionum hæreses à S. Sede, accedente postmodum Ecclesiæ consensu, damnatas, damnare recuset. *Hæc igitur omnia dicta fuêre paragrapho 2. defensionis.*

Panegyrista verò Apologiæ III. pag. 30. breviter ita respondet: "Fateor, „*inquit*, nos nullum quomodocumque „obvium sensum in Propositionibus „famosis damnabilem reperire præter „sensum Lutheranum aut Calvinisti„cum; eumque solum ab Innocentio „damnatum fuisse, in Prologo (vide „sect. 2. §. 11. 16. 17. 18. &c.) satia„tissimè demonstravimus."

Sed

Sed hæc magnifica verba solùm innituntur quibusdam Diarii Santamoriani testimoniis parum pertinentibus, &, velut abundè probatum est, hac in parte omninò suspectis; item cuidam epistolæ ex eodem Diario in Prologo præfato relatæ, cujus Author, ut primùm Innocentii X. Bullam legerat, loquens de Scripto trium columnarum, sive de *Brevissima quinque Propositionum in varios sensus distinctione* à Santamoreo ejusque Collegis oblata Pontifici, inconsultò scripsit se arbitrari, "quod Pontifex quinque Propo-„sitiones ut hæreticas condemnans non „aliud egerit quam censuram à Janse-„nistis in Urbe degentibus exhibi-„tam confirmare:" cum tamen oppositum ex ipso Santamoreo aliisque certis documentis in *Historia Brevi* sit ostensum. Neque solus iste est error ejusdem epistolæ: sed insuper in eadem ineptè asseritur, quod, cum Pontifex tum ad notam hæreseos opinioni Molinianæ per scriptum trium Columnarum inustam, tum ad quinque Propositionum explanationem in secunda columna ejusdem Scripti, tamquam quæ ad fidem Ecclesiæ per-

pertineret, allatam, omninò siluerit; idcircò præsumi debeat istam hæreseos notam & istam Propositionum explanationem approbare. Item in eadem Epistola perperam asseritur quòd idem Pontifex non affirmet quinque Propositiones è libro Jansenii excerptas esse: uti & quod Innocentii Bulla Jansenistis amplius faveat quàm Jesuitis. Hæc, inquam, ineptè asseruntur, uti perspicuum est ex *Historia Brevi*; in qua etiam inter alia ostenditur quomodo præfata Distinctio sensuum à Sancta Sede ante Constitutionem rejecta, & postea per Decretum 23. Aprilis 1654. emanatum expressè prohibita ac damnata fuerit.

Ista igitur breviter dicta sint de fundamentis illis instabilibus quibus antedicta *satiatissima demonstratio* nititur.

Quod autem Apologista "fatetur se „nullum quomodocumque obvium „sensum in Propositionibus Famosis „damnabilem reperire præter sensum „Lutheranum aut Calvinisticum", proculdubiò, si aliquid ad rem pertinens respondere velit, illud intelligit non de qualicumque sensu Lutherano aut Calvinistico, sed de illo de quo in-

ter

ter nos quæstio est, nimirum de illo qui in prima columna *Brevissimæ Distinctionis sensuum* à se in dicto paragrapho 18. Prologi laudatæ, & in Panegyri Janseniana reproductæ continetur; nec non pariter de illo qui in dicto Prologo proponitur pag. 67.

Inde verò consequens est, prout ex *Parallelo* hic juncto patescit, Apologistam existimare,

1. Quod ad damnandam primæ propositionis hæresim, reipsâ sufficiat hanc damnare: *Justus in omni bono opere peccat*; vel saltem hanc: *Aliqua Dei præcepta justis in præsenti vita sunt impossibilia.*

2. Quod ad damnandam hæresim secundæ Propositionis reipsâ sufficiat hanc damnare: " Liberum hominis ar-„ bitrium à Deo motum & excitatum, „ nihil cooperatur assentiendo Deo ex-„ citanti atque vocanti quò ad obtinen-„ dam justificationis gratiam se disponat „ ac præparet, neque potest dissentire si „ velit, sed veluti inanime quoddam ni-„ hil omninò agit, merèque passivè se „ habet: " vel saltem hanc, *Interior gratia liberum arbitrium necessitat, seu violentiam adfert.*

3. Quod ad damnandam tertiæ Propositionis hæresim sufficiat damnare tertiam Propositionem sic immutatam, ut ad vocem *necessitate*, addatur illud, *naturali, qualis etiam reperitur in motibus indeliberatis*, vel sic ut addatur illud, *naturali, qualem in brutis cogitamus.*

4. Quod ad damnandam quartæ Propositionis hæresim sufficiat hanc damnare: *Gratia Christi præveniens talis est ut liberum arbitrium hominis ab ea motum & excitatum non possit dissentire si velit. Aliter dicere Semipelagianum est.* Vel saltem hanc: *Semipelagiani in hoc erant hæretici quod vellent gratiam talem esse ut voluntas non posset ab illa, utique violentiam adferente, dissentire si vellet.*

5. Quod ad damnandam quintæ Propositionis hæresim non oporteat hanc simpliciter damnare: *Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est*, sed hanc damnare sufficiat; *Christus mortuus est tantummodò pro prædestinatis, ita ut ii soli per meritum mortis Christi veram fidem ac justitiam accipiant:* vel hanc: *Semipelagianum est dicere Christum, sive voluntate Divinâ quam antecedentem vocant, sive desiderii cujusdam huma-*

humanâ, pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.

Manifestum est autem quod non obstante tali damnatione, salva maneat Jansenismi Quinta-essentia, sive salvi maneant quinque famosarum Propositionum errores: quodque horum loco errores alii, præsertim Lutherani & Calviniani quos Concilium Tridentinum proscripsit, damnandi substituantur; non longè secus ac si in Monothelismi damnandi locum Eutychianismus, aut in locum Semipelagianismi damnandi Pelagianismus speciosè sufficeretur.

Et certè licet quamplurimæ Propositiones inveniantur æquivocæ seu ambiguæ, seu duplicem aut triplicem sensum recipientes, ita ut cuicumque talium reverà correspondeant plures ac planè diversi sensus (nota quod majoris elucidationis gratiâ hìc agatur de sensu enuntiationi reverà correspondente, non autem de solo ejus sensu obvio) tamen quisquis memoratum *Parallelum* inspicere non gravabitur, comperiet apertè falsum esse quod quinque famosæ Propositiones sic forent æquivocæ seu ambiguæ, ut sensus Lutheranus aut

Calvinisticus in prima columna *Brevissimæ distinctionis quinque Propositionum in varios sensus*, aut in Prologo Panegyreos expressus, & in secunda vel tertia columna *Paralleli* relatus, ipsis reverà correspondeæet, aut ipsarum sensus jure merito dici posset.

Estque hoc ita apertè falsum, ut ipsi quorundam Episcoporum Galliæ Deputati, sensuum illorum Lutheranorum aut Calvinisticorum Compositores, non aliter illos allegârint, quàm expresse dicendo in inscriptione eorundem sensuum, quod quinque famosis *Propositionibus malignè affingi possent*, adeòque non obscurè fatendo quod istis Propositionibus reverà non correspondeant.

Quæ ratio à me allegata in *Historia Brevi* pag. 133. & iterum in *Defensione* pag. 36. & 37. in tales angustias redegit Apologistam, ut ipsum Apologiæ III. pag. 23. ad fingendum adegerit, quod *unicum protulerim Santamorei exemplum, qui expresse asseverat se in hac sententia à Collegis suis* (*sicut & à Sanbovio & innumeris aliis Augustini Defensoribus*) *discrepasse*; cùm econtra tam Collegas ejus quàm ipsum istius

istius rei testes expressè adduxerim locis antè citatis; cùmque ipse Apologista vitilitigationis quam mihi perperam adscribit, manifestè convincatur per ipsam suam Panegyrim; in qua nimirum integrè refert antedictam *Brevissimam quinque Propositionum in varios sensus Distinctionem*, à præfatis omnibus Deputatis obsignatam prout sequitur.

Subscriptum Romæ die Lunæ 19. Maii anno 1653.

Sic subscriptum. Natalis De Lalane Doctor Facultatis Parisiensis, Abbas B. M. De Valle crescente.

Tussanus Des Mares Presbyter Congregationis Oratorii Domini Jesu.

Ludovicus De Saint Amour, in Sacra Facultate Parisiensi Doctor ac Socius Sorbonicus.

Nicolaus Manissier in Sacra Facultate Parisiensi Doctor ac Socius Sorbonicus.

Ludovicus Angran, ejusdem Sacræ Facultatis Parisiensis Licentiatus, ac insignis Ecclesiæ Trecensis Canonicus.

Accedit quod iidem Deputati, in libello supplice isti *Brevissimæ distinctioni* præfixo, sensus Lutheranos aut

Calvinisticos antedictos expressè fateantur esse *alienos* : & præfatus Abbas Lalanius in celebri audientia dictæ diei 19. Maii 1653. integrum illud scriptum legerit verbotenus ; quodque finitâ audientiâ ipse & Collegæ ejus idem scriptum Summo Pontifici tradiderint ; prout utrumque testatur Santamoreus p. 6. c. 22. qui etiam in sequentibus refert quod iidem Deputati ejusdem scripti exemplaria tradiderint pluribus Cardinalibus, quodque ista exemplaria subscripserint, suoque sigillo munierint : prout hæc postrema adhuc in *Historia Brevi* dicta sunt, sed ab Apologista nostro dissimulata.

§. 2.

De Subscriptione & Exactione Formularii Alexandri VII.

SUbscriptores adeòque & Exactores Formularii (Alexandrini) à noxis variis eximi non posse pugno (ait Apologista circa initium Apologiæ tertiæ) 1. Quia verba Formularii, juxta receptum apud omnes homines idioma, Jansenium nocentem dicunt, hoc est, auctorem variarum hære-

hæresum libro suo, cui Augustino nomen dedit, comprehensarum. 2. Quia tale facinus in Episcopum eruditione insignem, & cum odore singularis pietatis in communione Ecclesiæ vitâ functum, sine certissimis documentis impingere, calumnia est gravissima, nec à lethali crimine juxta receptissimas Theologiæ Sanctiones facilè liberanda. 3. Quia certissima illa documenta haberi non possunt ex sola assertione & auctoritate Præpositorum, ne quidem in Concilio OEcumenico congregatorum, quos ita etiam adunatos in ejusmodi definitionibus posse falli, constans meliorum Theologorum sententia statuit. E quibus omnibus intuli, inquit, convitium illud atrox in Jansenium solâ illâ auctoritate posthabitis præclaris innocentiam ejus commonstantibus argumentis conjectum, idemque præterea vel ad suscipiendos Ordines Sacros, vel ad Ecclesiastica beneficia prehendenda, jurejurando coram Deo & Ecclesia confirmatum, in se continere acervum flagitiorum, ad quæ quivis religiosæ conscientiæ Christianus toto animo & corpore contremiscat. Hactenus Apologista.

Ego

Ego verò Lectorem inprimis monitum cupio, ut quousque hæc tendant, advertat. Supponatur enim quod Concilium OEcumenicum disertè ac simpliciciter approbaret Alexandrinæ Formulæ subscriptionem exigi absque ulla distinctione, restrictione seu expositione, secundùm Innocentii XII. Brevia: tunc nihilominus adhuc juxta principia ante posita, Subscriptores, adeòque & Exactores Formularii Alexandrini à noxis variis eximi non posse pugnabitur, nimirum 1. Quia verba Formularii juxta receptum apud omnes homines idioma, Jansenium nocentem dicunt, &c. 2. Quia tale facinus in Episcopum &c. sine certissimis documentis impingere, calumnia est gravissima. 3. Quia certissima illa documenta haberi non possunt ex sola assertione & auctoritate Præpositorum, ne quidem in Concilio OEcumenico congregatorum.

Quibus observatis, hoc brevi simplicique modo ad primum respondeo: Falsum est quod S. Sedes Jansenium nocentem pronuntiaverit: & adhuc amplius quod tanquam authorem variarum hæresum damnaverit.

Ad

Ad secundum & similiter ad tertium, respondeo quod sit impertinens.

Et nihilominus verum est quòd Sancta Sedes 5. famosas Propositiones sic damnaverit, hæreticasque declararaverit, ut simul asseruerit illas seu illarum doctrinam in libro cui titulus, *Jansenii Augustinus* contineri. Sed inprimis undenam Panegyrista probabit quòd S. Sedes istius suæ assertionis fundamento sufficienti careat, præsertim cùm ne quidem ipse, qui in fine Apologiæ suæ tertiæ se *totis nervis pro vindicando hoc magnificentissimo*, ut vocat, *Opere laborare* gloriatur, idem Opus à quinque famosarum Propositionum doctrina, sed tantùm à quadam alia Propositionibus istis extranea & afficta vindicare contendat.

Deinde supposito non tantùm quòd liber famosarum 5. Propositionum doctrinam contineat, sed insuper quòd ipse Jansenius (velut etiam jure merito supponitur) doctrinam in libro isto contentam tenuerit ac scripserit; cum illa non foret saltem apertè damnata, cùmque eidem Jansenio videretur Augustini, quin & ipsius Ecclesiæ esse, prout etiam aliis plurimis piis eruditis-

que Viris, antequam expresſè damnaretur, viſa fuit; certè ſi illam tradidiſſe Janſenio culpa fuit, venialis eſſe potuit; maximè cùm idem Janſenius libri ſui clariſſimam ſubmiſſionem in fine *Defenſionis* relatam, imò revocationem conditionatam, quæ poſtea in abſolutam tranſiit, reliquerit; quidquid Apologiſta in fine tertiæ Apologiæ nitatur clariſſimam illam ſubmiſſionem offuſcare, non ſine iſtius Epiſcopi injuria, quem ipſemet à *ſumma erga Sedem Apoſtolicam reverentia* diſertè laudat in Prologo Panegyreos pag. 53.

Pergit nihilominus Apologiſta, &, diſſimulatis penè omnibus illis quæ in *Hiſtoria Brevi* n. XXX. & XXXI. & in ejus *Defenſione* §. 11. reſponſione ultima, circa Formularii ſubſcriptionem dicta ſunt, ſic ait pag. 4. Apologiæ tertiæ: "Cùm illi (*Canonico*) objeciſſem hoc invictum, ut arbitror, & „ineluctabile argumentum: Si jam „proponeretur hæc formula jurejurando firmanda: *Ego N. Definitioni Conciliorum Generalium ſexti, ſeptimi, & octavi, ac Summorum Pontificum Sancti Leonis II. & Adriani II. me ſubmitto; atque epiſtolam Papæ Honorii ad*

„*Ser-*

„*Sergium Patriarcham, in sensu ab ipso*
„*Honorio intento, execror & abjicio;*
„*Sic me Deus adjuvet & Sancta Dei E-*
„*vangelia*: Quæstio fit, an Jesuitis
„Honorium innocentem arbitrantibus
„liceret hujusmodi Formulæ subscribe-
„re sine labe perjurii? Et si liceat, se-
„cunda superadditur quæstio: Quas
„ergo ideas seu perceptiones, & quem
„assensum vocabula Formulæ adductæ
„generent in mente jurantium? Hunc
„nodum si Canonicus solverit, tum
„demum aliquid protulerit, quod con-
„troversiæ, quam discutimus, fibras
„intimas medullamque tangat; cùm,
„inquam, illi hæc objecissem ad pri-
„mam quæstionem respondet pag. 27.
„Si memorata Formula aut quævis alia
„tanquam jurejurando firmanda pro-
„poneretur ab Ecclesia, vel à S. Sede
„(præsertim cum expresso consensu
„Ecclesiæ Gallicanæ & Belgicæ, alia-
„rumque Ecclesiarum consensu saltem
„tacito, sic ut nulla particularis Ec-
„clesia repugnaret, prout accidit circa
„Formulam Alexandrinam) deberent
„Jesuitæ, spreto timore perjurii aut
„alterius criminis, Ecclesiæ aut S. Se-
„di subscriptionem injungenti parêre:

„certi quòd juxta Christi promissum „fieri non possit, ut Ecclesia aut S. Se-„des, præsertim in circumstantiis antè „positis, fideles suos per solemnem „Formulam ad perjurium vel aliud „quodcumque crimen adigat." Hactenus Apologista; qui mox pro solutione præfati *expressi consensus Ecclesiæ Gallicanæ* longam excursionem ineundo, narrationem quamplurima facta partim confutata, ac partim in Scripto contra *Jansenismi Historiam Generalem* hìc juncto confutanda) continentem, penè sine ullo, saltem non suspecto testimonio, & non sine gravi quorundam Optimatum & Ecclesiæ Principum ignominia, *Generalis* istius *Historiæ* Scriptorem insigniter imitatus, instituit. Ac tandem istâ valde probrosâ (veluti posteà pluribus ostendetur) narratione finitâ, hanc suam sententiam intrepidè pronuntiat pag. 19. *Ne vola quidem Ecclesiastica juxta leges sacras consensionis est in universo isto negotio curiali, sed totum à capite ad calcem machinatio, discordia, factio, dominatus, oppressio.*

Sed quidquid de eo sit, fateri debet Apologista Clerum Gallicanum & singulos

gulos ejus Episcopos, etiam quatuor celebres, Formulæ Alexandrinæ dudum subscripsisse, subscribique fecisse: ac postmodum ad hæc usque tempora dictum Clerum eandem Formulam, uti & Innocentii XII. Brevia, ita unanimiter recepisse, ut nullus in Gallia Episcopus assignari possit qui contradicat; sicuti neque talis in Belgio aut alia Orbis Catholici parte reperitur: quinimò nec ullus alius se Ecclesiæ Catholicæ filium profitens reperitur, qui nominatim repugnet. Ac proinde prorsus immeritò negat Apologista exactioni Formulæ Alexandrinæ expressum Ecclesiæ Gallicanæ, pariterque Belgicæ, consensum accessisse.

Dum verò subdit me *omnium Ecclesiarum aliarum consensum saltem tacitum ex eo deducere quod nulla Ecclesia particularis repugnet*, duo committitur, nempe de suo addendo dictionem *omnium* (cum nuperam Cleri Gallicani censuram in fine defensionis relatam secutus, tantummodò dixerim *Ecclesiarum consensu*) & dicendo me unum ex altero deduxisse, cum oppositum in ipso textu supra ex ipsa Apologia relato pateſcat. Etenim hic est illius te-

xtus evidens ſenſus: "Quod ad For-
„mulæ Alexandrinæ exactionem atti-
„net, Sanctæ Sedi expreſsè conſentiunt
„Eccleſia Gallicana & Belgica, plu-
„rimæque aliæ particulares Eccleſiæ
„conſentiunt ſaltem tacitè, & nulla
„particularis Eccleſia repugnat." Hic, inquam, eſt ſenſus indubitatus antedicti textûs. Quapropter Apologiſta ſeipſum irriſioni exponit, dum præfatis commentis innixus, *mirum crepundiorum puerilium artificem* me vocat, dumque inde plures ineptias colligit.

Ad hæc, egregè Lectoribus illudit, dum ſtatum quæſtionis mutat, ibidem animi gratiâ tantiſper dando Gallicanam, Belgicam, ac particulares multas adhuc Eccleſias ad quas Formularii notitia ſe porrexit, in *Janſenii damnationem* concordes acquieviſſe (debuiſſet pariter dare quod nulla particularis Eccleſia repugnet) Lectoribus, inquam, illudit, dum iſta dando, & inſuper hæc addendo, *nunquam enimverò concordia illa ſe efferet ad illud culmen conſensûs qui per Chriſtianum orbem conſpicuus fuit in damnatione Honorii*, ſtatum quæſtionis mutat.

Etenim quæſtio quæ hìc tractatur, & quæ ab Apologiſta circa initium Apolo-

pologiæ III. vocatur *cardo ac summa disputationis nostræ, nucleus & caput dissidii*, non est hæc, an Jansenius damnandus sit, necne; sed, uti manifestè liquet ex eodem Apologiæ III. loco, hæc est, an Formulæ Alexandrinæ subscriptores rei sint perjurii aliorumque criminum de quibus in Prologo Panegyreos, ejusque Apologiis? An nullius criminis idcircò rei sint? Item consequenter an ejusdem Formulæ exactores variis criminibus illaqueentur? An nullo propterea crimine se adstringant?

Quapropter ut aliquid ad præsentem quæstionem pertinens adducatur, non sufficit allegare Sedis Apostolicæ & Conciliorum generalium ab Ecclesia receptorum in Honorii ejusque litterarum damnatione consensionem, sed ostendi deberet quod per Ecclesiam vel per Concilium generale ab Ecclesia receptum, vel per Sanctam Sedem (etiam multis particularibus Ecclesiis expressè vel tacitè consentientibus, & nulla particulari Ecclesiâ repugnante) olim fuisset solemniter præscripta & à fidelibus exacta talis aliqua subscriptio aut talis aliqua damnatio, quam faciendo multi fideles se variis criminibus illaquea-

laqueabant, quamque ſine variis criminibus, aut ſaltem ſine crimine facere non poterant. Sed quandonam hoc Apologiſta præſtabit? tunc, quando Eccleſiam Univerſalem, vel ſaltem omnium Eccleſiarum Matrem & Magiſtram (& quidem multis particularibus Eccleſiis conſentientibus, nullâque particulari Eccleſiâ repugnante) Antichriſtianam eſſe vel fuiſſe monſtrabit.

Unde ad illud quod allegatæ in Honorii litterarumque ejus damnationem conſenſioni ſubjungit dicens: "Cùm „ergo deinceps Bellarminus, Joannes „à Turre-cremata, & eorum aſſeclæ „intrepidè dixerint, *Patres Concilii „deceptos ex falſis rumoribus, &c, non „intellectis Honorii epiſtolis, immeritò „cum hæreticis connumeràſſe Honorium*; „inconcuſſum planè manet robur ar„gumentationis noſtræ, quâ à ſimili „quærebatur an Honorium innocen„tem arbitrantibus ſine labe perjurii „ſubſcribere aut olim licuerit, aut nunc „liceret Formulæ ſuperius traditæ?" Ad illud, inquam, quod ibi ſub ſpecie argumentationis *quæritur*, ex dictis facilis eſt reſponſio. Quod enim Apologiſta proponi ſupponit, dum ait: *Si jam*

Jam proponeretur hæc Formula jurejurando firmanda: Ego N. &c. ut ante, videndum est à quo & quo modo proponi supponatur: nam dato quod quoad Propositionem hujus & alterius Formulæ paritas esset (quod tamen contingere posse non affirmo) incunctanter respondeo, velut adhuc respondi, quod Jesuitæ subscribere possent, imo pariter jussi, deberent. Sicuti enim Ecclesia, quia columna & firmamentum veritatis est, errare nequit dum aliquid fidei esse definit aut tanquam fidei proponit, ideoque licet istud sic definiri sicque proponi non posse mihi videretur, nihilominus credere tenerer; similiter quia eadem Ecclesia Sancta est, fieri nequit quod Christi fideles ad crimen adigat, ideoque licet quædam ejus ordinatio mihi criminosa videretur, deberem tamen jussus, istâ meâ persuasione depositâ, parêre.

Porrò hæc indubitata sunt independenter à quæstionibus sequentibus, nimirùm an Ecclesia errare possit in damnatione Jansenii? An non? An errare possit in intellectu libri Jansenii? An non? An in illud quod vocant Factum Jansenianum, aut saltem

in ejus persuasionem, jurari mandet? An non? Neque necesse est horum quidquam hìc affirmari. Nam admissis illis quæ indubitata esse diximus, antedicta quæstio capitalis, de qua, juxta ipsum Apologistam, hìc agitur, finita est; quandoquidem illis admissis, Formularii Alexandrini Subscriptores & Exactores criminis accusare desinet.

Neque potest Apologista causari quod Apostolicis de exigenda Formularii subscriptione Decretis non accesserit Ecclesiæ consensus, quippe qui clarè patet ex ante dictis. Deinde quamvis idem Apologista, ut in prologo Panegyreos pag. 23. insinuare videtur, circa quatuor articulos in declaratione Cleri Gallicani de anno 1682. contentos, ejusdem Cleri sententiam amplectatur, attamen nullum inde subsidium accipit, quandoquidem Conventus generalis Cleri Gallicani congregati anno 1700. 4. Sept. in sua censura declaraverit sufficientem istis Apostolicis Decretis accessisse Ecclesiarum consensionem, ut causa Janseniana debeat haberi finita.

Non contendet etiam, spero, quæ-

stio-

stionem illam judicio suo capitalem hìc tractatam, ab aliis antedictis inseparabilem esse; ne aliàs ea quæ nullo negotio separari possunt, inseparabilia esse contendat; & ne illa quæ contra prætensam aliquorum inseparabilitatem in Apologia III. pag. 9. profert, adversùs ipsum retorqueantur.

Denique tantisper demus (quod tamen evidenter absurdum est) quæstionem de damnatione Jansenii ab ista alia de qua hìc agitur, sejungi non posse; ac proinde hìc etiam de Jansenii damnatione per Formularium importata esse respondendum: videamusque quidnam hoc dato conficiet Apologista.

Ego pugno (inquit in verbis ante relatis ex principio Apologiæ tertiæ) Subscriptores adeòque & Exactores Formularii à noxis variis eximi non posse. Quare? Quia verba Formularii, inquit ibidem, juxta receptum apud omnes homines idioma, Jansenium nocentem dicunt, hoc est, auctorem variarum hæresum libro suo, cui Augustino nomen dedit, comprehensarum.

Sed exprimat Apologista, quæso, cujus rei nocentem Jansenium, hoc

 est,

est, quarum hæresum Jansenium auctorem dicant verba Formularii? Nempe (velut adhuc recens Apologia tertia confirmat) dicunt Jansenium authorem hæresum correspondentium 5. famosis Propositionibus intellectis juxta sensus Lutheranos aut Calvinisticos in Panegyri Janseniana ejusque Prologo contentos, in *Brevi Historia* ejusque *Defensione* relatos, & in *Parallelo* hìc juncto referendos.

Porrò econtrà ego palam & confidenter affirmo exploratum ac indubitatum esse, quod nec Formularii Alexandrini, nec cujuscumque alterius Pontificiæ Sanctionis verba, Jansenium istarum hæresum auctorem esse, aut librum cui nomen est Augustinus Jansenii, istas hæreses continere dicant. Atque ita cessat omnis illa difficultas quam Apologista contra Formularium super Jansenii damnatione ibidem asserta movet.

§. 3.

De Sensu obvio.

HAnc objectionem ex Panegyri Janseniana desumptam, *In æternum disputabitur quis sit sensus obvius*

5. *Pro-*

5. *Propositionum* &c. solvimus ad calcem *Brevis Historiæ*, & insuper illa quæ Panegyrista in Apologia sua secunda reposuerat, confutavimus in *Defensione* §. 8. Cùm autem in Apologia tertia quandam confutationis partem impugnet, iterum de Sensu obvio tractandum est.

Ex ipsis Bullæ verbis ostenderam Innocentium X. clarè affirmare quod quinque Propositiones contineantur inter alias opiniones traditas in libro Jansenii, ideòque Alexandrum VII. meritò definiisse & declarâsse quòd Innocentius X. damnârit quinque Propositiones in sensu à Jansenio intento. deinde ex his ejusdem Bullæ Innocentianæ verbis, *Tenor verò præfatarum Propositionum est prout sequitur. Prima, Aliqua Dei Præcepta*, &c. & ex damnatione subjuncta, clarè patêre dixeram quòd illæ Propositiones ibi damnentur juxta suum *tenorem*: adeòque (veluti *tenorem* illum interpretatus est Innocentius XII.) juxta sensum obvium quem ipsamet Propositionum verba præ se ferunt.

Ac tandem ex his duabus præmissis sequi dixeram, quòd quinque Propo-

ſitionum ſenſum à Janſenio intentum Sancta Sedes judicet eundem eſſe cum quinque Propoſitionum ſenſu obvio quem ipſamet Propoſitionum verba præ ſe ferunt.

Panegyriſta autem in Apologia ſecunda diſcurſum illum mutilârat, omittendo hæc verba, *Deinde ex his Bullæ Innocentianæ verbis: Tenor &c.* Sed de eo in *Defenſione* monitus, reſpondit pag. 22. Apologiæ III. ſe mihi relinquere *diſcurſum quem declaraveram*, ſeque ſolam ejuſdem concluſionem ſuſcepiſſe exagitandam.

At quomodo ille qui neutram diſcursûs antedicti præmiſſam, nec conſequentiam impugnare auſus eſt, ejusdem diſcursûs concluſionem ſuſcepit exagitandam? Et cur non potiùs juxta certas Dialecticæ Regulas intactam reliquit?

Videndum interim quænam ſit illa exagitatio quam ſuſcepit.

" Hoc pacto ratiocinatus ſum (inquit ibidem) ſenſus Propoſitionum à
„ Janſenio intentus, ſecundùm Jeſui-
„ tas quoſdam, idem eſt cum ſenſu gra-
„ tiæ efficacis; porrò ſenſus à Janſenio
„ intentus, Authore Deckero idem eſt
cum

„ cum sensu Propositionum obvio, er-
„ go secundùm Jesuitas illos & Dec-
„ kerum simul adunatos, Propositio-
„ num sensus obvius est sensus gratiæ
„ efficacis."

Nunquid rectè? Collige ex hoc plane simili discursu.

Sensus litterarum Honorii ad Sergium ab ipso Honorio intentus, secundùm Cardinales quosdam idem est cum sensu Catholico: porrò sensus ab Honorio intentus, Authore Panegyrista Janseniano idem est cum sensu litterarum hæretico, ergo secundùm Cardinales illos & Panegyristam Jansenianum simul adunatos, litterarum sensus hæreticus est sensus Catholicus.

Tale igitur est sophisma quo Panegyrista Jansenianus illa, de quibus in responsione ad ultimam objectionem in dicto paragrapho 8. circa sensum obvium convictus est, obtegere tentat.

Prætereà contra certam veritatem pernegat illud quod ibidem dictum est, *Jesuitas illos qui ante primum Breve, sensum gratiæ per se efficacis damnatis Propositionibus assignârunt, non assignâsse illum tanquam sensum obvium quem ipsa Propositionum verba per se exhibent, sed tanquam*

tanquam ſenſum à Janſenio intentum: quippe qui profitebantur ſe Janſenii ſenſum quærere, eò quod quinque Propoſitiones in ejus ſenſu damnatæ forent: ideoque, tametſi daretur quod ipſi aliquem ſenſum obvium intenderent, non intendebant tamen illum obvium ſenſum *quem ipſa Propoſitionum verba per ſe exhibent*. Et hic eſt præcipuus præſentis difficultatis nodus. Nam, prout ex paragrapho 1. conſtat, primarium controverſiæ noſtræ caput eſt, an quinque Propoſitiones damnandæ ſint juxta ſenſum *quem ipſarum verba per ſe exhibent*? An non? Et dummodò Panegyriſta ſincerè damnet quinque Propoſitiones juxta ſenſum quem ipſarum verba per ſe exhibent, non verò dumtaxat juxta ſenſum alienum & affictum, omninò ſperandum eſt difficultatem illam quam ſuper *ſenſu obvio* movit, ceſſaturam.

Poſt hæc Apologiſta confugit ad vota aut ſuffragia Conſultorum ab Innocentio X. ad examen ipſarum Propoſitionum Deputatorum; qui in contraria, inquit, uſque adeò de earum intellectu abiere judicia.

Sed in primis Sancta Sedes per Decretum

cretum 6. Sept. 1657. emanatum, suffragia illa prætensa, à Santamoreo aliisque edita, prohibuit, declaravitque iis tanquam apocryphis nullam fidem esse adhibendam.

Deinde dato quod legitima sint ista suffragia, quodque pariter legitima sint illa quæ Apologista ex iisdem suffragiis excerpsit, ut plures Apologiæ suæ tertiæ paginas impleret: hoc, inquam, dato, nihil equidem inde confi-cere potest, veluti videre potuit ex sequentibus, quæ ad calcem *Brevis Historiæ* in solutione objectionis ultimæ continentur, & sic se habent.

" Quod attinet ad Consultores, quos „etiam Author Panegyreos pag. 63. „Prologi objicit in varias circa Propo-„sitionum sensum opiniones abiisse, „evidens est allegata eorum suffragia „supponenti & consideranti, quod non „omnes intenderint unicè spectare sen-„sum obvium quem ipsamet Proposi-„tionum verba præ se ferunt: imò „(prout animadvertit Thomista suprà „citatus, apud Santamoreum in Col-„lect. pag. 176.) rigorosum verborum „sensum hæreticum esse inter omnes „Consultores constabat. Et Paulus

„Irenæus disq. 2. a. 4. de prima Pro-
„positione sic ait: *Fatendum est Pro-*
„*positionem in se spectatam, & in pro-*
„*prio ac rigoroso sensu, ut loquuntur Ro-*
„*mani Consultores, non unam sed multas*
„*hæreses complecti.*" & in disq. 1. a. 1.
de omnibus quinque sic loquitur. "*Om-*
„*nes ad unum Catholici istas Proposi-*
„*tiones proscribunt, & quidem in pro-*
„*prio verborum sensu.*"

Hæc igitur vidit Apologista, &, quemadmodum alia quàmplurima, dissimulavit.

Unde etiam prorsùs immeritò repetit ad Pacem Ecclesiæ desiderari, ut *dilucidè & distinctè explicetur damnatus ille quinque Propositionum sensus*, & ut *Liber Jansenii Juridico excutiatur examine*. Nam quod ad prius attinet, abundè solutum est in *Historia Brevi* & in ejus *Defensione*, & in antedictis; prout facilè intelligeret Apologista, si priùs quæ credenda sunt, crederet, id est, si quinque Propositiones sub specie distinctionis immutare, atque ad sensus notoriè alienos & affictos detorquere desinens, Propositionum istarum prout jacent, sive juxta tenorem suum intellectarum hæreses

reses cum Apostolica Sede, imò cum Ecclesia, damnaret. Audeo enim asserere quod hoc facto, difficultates omnes vel saltem præcipuæ circa *sensum obvium* ab ipso suscitatæ, evanescent. Sin verò dictas hæreses damnare detrectans, ulteriorem *sensus obvii* quem ipsa quinque Propositionum verba per se exhibent, explicationem exigere pergat, reponam ego cum S. Augustino: *Nisi credideritis non intelligetis.* Isaiæ cap. 7. ℣. 9. juxta 70. Interpretes. Imò reponere cogar: *Generatio hæc sensûs obvii quem ipsa quinque Propositionum verba per se exhibent, explicationem quærit; & explicatio non dabitur ei, nisi quam dedit Innocentius XII.*

Nam quod aliqui in nupera sua *Satisfactione data* addendum esse existimârunt quòd sensus ille obvius sit *distinctus à sensu S. Augustini de Gratia*; nos quoque addideramus ad calcem Brevis Historiæ Jansenismi, in solutione ultimæ objectionis pag. 132. & 133. item §. 8. Defensionis pag. 35. præterquam quòd in ipsa Historia S. Augustini doctrinam à damnatione immunem esse significaveramus non semel. Et nihilominus Panegyrista Jansenianus dilucidam &

distinctam sensus obvii præfati explicationem in secunda ac tertia Apologia postulare non desiit : uti nec facilè desinet quamdiu quinque Famosas Propositiones non aliter quàm juxta sæpe dictos notoriè alienos & affictos sensus damnare volet. Hæc enim est radix ex qua pullulant ejusmodi quæstiones.

Quantum autem ad posterius, id est, quantum ad juridicum libri Janseniani examen prætensum in Prologo Panegyrcos, abundè confutatum fuit ad calcem *Historiæ Brevis*, in solutione objectionis tertiæ inter sex ultimas ; ubi etiam peculiariter solutum est illud quod ex Vincentii de Pretis & Lucæ Waddingi suffragiis Apologista repetit pag. 26. Sed mira est illa discretio per quam existimat quoad examen libri Janseniani magis esse credendum illi quod Lodevensis Episcopus Innocentium X. sibi privatim dixisse testatus est, quàm Chisio, jam Alexandro VII. publicè ac solemniter per Bullam & per Breve ferenti testimonium circa illud quod in Congregationibus ipso semper præsente gestum erat, nempe circa dictum examen libri Jansenii ; maximè cùm juxta ipsum Panegyristam Apol. I. pag.

11. apud omnes compertum sit non derogari instrumentis publicis per particulares ac secretas relationes. Accedit quòd in Prologo Panegyreos pag. 38. non attentâ ejusdem Episcopi relatione, fides habeatur nescio cui contrario testimonio ex auditu, hocque fundamento Chisium Innocentii X. Bullam concinnâsse affirmetur; prout videre est in solutione secundæ objectionis inter sex ultimas.

Denique cùm Apologista nullum in quinque Propositionibus sensum damnabilem nisi Lutheranum aut Calvinisticum sæpe dictum agnoscat, cumque proinde per prætensum examen, librum Jansenii ab illis erroribus vindicare contendat, à quibus nos immunem esse non tantùm concedimus, sed prædicamus; ex hoc uno capite manifestum est Apologistam planè frustrà petere præfatum examen.

§. 4.

De novo Goliathismo, sive, De solemni provocatione factâ in Panegyri Janseniana, & postmodum extensâ in secunda ejus Apologia.

IN Præfatione *Defensionis* Historiæ Brevis relatum fuit quomodo Pane-

gyriſta in Prologo pag. 48. inſtar novi cujuſdam Goliati omnes omninò Jeſuiſtas & Molinianos provocaverit ut oſtenderent Auguſtinum Iprenſem in una famoſarum Propoſitionum ab Hipponenſi Auguſtino disjungi; ſpondens ſe, hoc oſtenſo, pro reliquis quatuor articulis adoream porrecturum & manus daturum. Præterea in eadem Præfatione *Defenſionis* expoſitum fuit, quomodo idem Panegyriſta in ſecunda Apologia mihi provocationis antè dictæ neglectum vehementer improperaſſet. Cùmque ex contrario plures rejectæ provocationis rationes in *Defenſione* (aliquas ſcilicet in ipſa Præfatione, & præcipuas in paragrapho 1.) attuliſſe me videat, contendit Apologiæ tertiæ pag. 27. me certamen *detrectare leviculis quidem ſed ad obruendum Lectorem congeſtis ingenti numero cavillationibus & argutiis*.

Primò itaque objicit me queri *provocatorem inviſibilem eſſe*, ac ſi pugnis & non rationibus certandum eſſet. Verùm etiamſi non pugnis ſed rationibus certandum ſit, tamen aliis judicandum relinquo, an non jure merito Provocator ejuſmodi, quin & ſponſor, inviſibilis rejiciatur. Et nihilominus obſervandum,

dum, quòd hanc provocationis spretæ rationem, uti & immediatè sequentem, expressè monuerim minùs esse pertinentem & efficacem quàm cæteras.

Aliam detrectationis causam me afferre dicit, *quòd soli Moliniani provocati fuerint*, & *quòd sub eorum signis militare respuam*. Additque quòd non adverterim in Apologia sua II. pag. 3. contrarium apertè edici, quòd nempe *omnes Concertatores suos provocet ad demonstrandam Jansenii noxam*, & quòd similiter alibi (scilicet ejusdem Apologiæ pag. 16.) provocet *quoscumque secus existimantes*. Errat Apologista. Nam satis adverti Goliathismum in Apologia II. ad omnes Concertatores & ad quoscumque secus existimantes extendi, ubi anteà in Prologo Panegyreos ad solos Molinianos directus fuerat. Et nihilominus cùm in eadem Apologia II. mihi vehementer improperaretur quòd certamen in isto Prologo oblatum neglexissem in *Historia Brevi*, appositè in *Defensione* respondi quòd ista provocatio me non concerneret. Sed cùm Panegyrista in eadem Apologia II. in qua certaminis in eodem Prologo oblati detrectationem mihi perperam improperabat,

rabat, provocationem ſuam ſic extendiſſet ut me pariter comprehenderet, idcircò plures alias rationes paragrapho primo *Defenſionis* adjunxi, quibus provocationem etiam ſic extenſam ſprevi & exploſi, quaſque mox contra objecta defendam; nihil moratus exaggerationem criminum, de quibus Apologiſta hoc loco repetit, accuſari Janſenium, cùm ſuper accuſatione iſta ſatis anteà diſſertum ſit.

Poſtquam Apologiſta rationes ad muniendam provocationem ſuam in Prologo productas me retuliſſe faſſus eſt, ac poſtquam pluribus verbis me illas confutâſſe negavit, addit me adhuc alias dein detrectationis cauſas ingeminare.

1. *Quòd ipſe intendat Apoſtolicarum Sanctionum effectum uſque ad concertationis finem ſuſpendere*: qua de re tamen nullibi mentionem ſe feciſſe ait: ac ſi nimirùm illa ipſius intentio non manifeſtè patêret ex ejus ſcriptis, & quidem ex hoc ſolo, quod, juxta ipſum, Formularii ſubſcriptio perjurium & alia crimina contineat.

2. *Quòd talis concertatio non facilè finem accipiet, etiamſi de unico è quinque*

Arti-

Articulis agendum esset. "Ubi, ait Apo„logista, seipsum clarè jugulat (*Ca„nonicus*) quia magnum chaos con„fusionis debet esse vel unica Propo„sitio, si tanto tempore opus habeat, „ut discuti, & cum Augustino Afri„cano & Europæo conferri valeat." Sed non attendit Apologista me rationem istam in hoc fundâsse, quòd certandum esset cum eo qui tantam utriusque Augustini intelligentiam ostentat, quemque susceptam Augustini Iprensis justificationem ægerrimè relicturum esse, vel hæc sola sententia, *Justificationem quam cœpi tenere non deseram*, Apologiæ primæ præfixa portendit.

3. *Quòd Apologistæ sponsio ab æquitate dissideat*, ut qui spoponderit se uno articulo prostrato, pro cæteris quatuor adoream porrecturum manusque daturum; quasi posset de veritate transigere. His autem reponit Apologista se juxta Paulinam hanc sententiam loqui, *Licet Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit*; quia videlicet credit rem impossibilem esse, ut dissonantia utriusque Augustini monstrati

F possit

possit vel in uno articulo; quapropter, quocumque demùm pignore certaverit, non metuit quidquam perdere. Ita ille. Sed, si hanc responsionem non excogitaverit postmodum ad obtegendam transactionis imprudentiam, viderit inprimis an & quomodo firmiter credat rem impossibilem esse, ut dissonantia utriusque Augustini monstrari possit vel in uno articulo: deinde an sic loquendo, & sic intelligendo, non tentaverit incautâ Lectoris simplicitate abuti.

Addit verò: "Præterea in hujus litis materia tantillum peritis satis evidenter conspicitur, ait, articulos omnes colligatos esse ad articulum unicum gratiæ suo robore efficacis."

Verùm quos articulos ibi intelligit? Proculdubiò quinque famosos, si ad rem loqui velit; & tamen dum mox ostendere nititur quomodo articuli ex gratia per se efficaci consequantur, articulos à quinque famosis non minùs significatione quàm verbis diversos asserit. Deinde ne quidem asserere audet quòd ex eorum singulis cæteri quatuor consequantur, cùm tamen hoc ipsum debuisset ostendere, ut apposité respon-

respondisset illi quod in *Defensione* observatum erat articulos non ita se habere, ut, quocumque illorum dato, dentur consequenter quatuor reliqui; ac proinde uno illorum probato, non posse Panegyristam Formularii subscriptionem admittere, in qua, juxta ipsum, quinque articulorum quinque calumniæ & totidem perjuria, saltem implicitè, continentur.

Ex quibus non modò liquet, quòd idem Panegyrista nihil idoneum adversùs antedictam detrectationis causam afferre potuerit, verùm etiam quòd nihil tale potuerit afferre contra quartam, quam per anterius suum responsum (modò confutatum) in ventos spargi affirmat, & quæ hæc erat, nempe quòd facilè & eodem jure adveniret Provocator alius qui contenderet illud quod de uno articulo ostensum esset, non posse de cæteris quatuor ostendi, & tamen ostendi debere, antequàm Formulæ subscriptio exigatur.

Ad hanc quintam spretæ provocationis causam, *Quòd Panegyrista gestiat tale certamen transferre ad materiam de Auxiliis*, ipse summorum Pontificum inhibitiones nihil moratus, illicò per-

strictâ fronte respondet: *Quis sapiens dubitet?*

Hujus sextæ causæ, *Quòd Panegyrista quinque Propositiones distingui velit in varios sensus, & explicari aliter quàm juxta sensum obvium quem ipsarum verba per se exhibent*, priori parte prætermissâ, ad posteriorem respondere videtur, cùm tamen etiam nihil ad hanc respondeat, neque quidquam aliud agat quàm quòd conqueratur me, non alium quemcumque sensum, sed illum ipsum unicum sensum obvium cupidissimè audire gestienti non explicare.

Septima ac postrema, non tamen parum pertinens aut parum efficax spretæ & explosæ provocationis ratio, hæc erat: "Quod planè superfluum „ sit cum Panegyrista certare super eo „ quod ipsi conceditur. Et certè quid- „ nam per certamen oblatum intendit „ nisi demonstrare quòd Liber Jansenii „ cum libris Augustini sic consonet, „ ut quinque famosæ Propositiones non „ magis in illo quàm in his contineantur? Deinde nunquid ipse famosas „ quinque Propositiones, quas hæreticas esse admittit, quasque non magis „ in Jansenio quàm in Augustino re-

periri

„periri contendit, intelligit in sensu „Lutherano & Calvinistico per San„tamoreum & socios ejus in *Brevissi„ma quinque Propositionum in varios „sensus distinctione* allegato, aut saltem „in sensu Lutherano & Calvinistico „per ipsum Panegyristam pag. 67. „Prologi galeati assignato, & *Brevis „Historiæ* pag 61 relato? Porrò tan„tum abest quod nos famosas quinque „Propositiones sic intellectas, apud „Jansenium magis quàm apud Augu„stinum inveniri contendamus, ut op„positum satis apertè in *Historia*, nec „non in responsionibus ad objectiones, „præsertim ad tertiam inter sex reli„quas, pag. 112. & 113. concesse„rimus." Hæc igitur erat postrema ratio allegata Paragrapho I. *Defensionis*.

Panegyrista verò non habens quod opponat, quærit quid concedatur? Ac si perspicuum non esset nos in verbis modò ex *Defensione* relatis concedere quod famosæ quinque Propositiones intellectæ prout dictum est, non magis apud Jansenium quàm apud Augustinum inveniantur: & quasi non fuerit pariter visibile nos idem adhuc

 antea

anteà concessisse, videlicet *Historia Brevis* pag. 59. in principio, pag. 60 à medio usque ad finem, pag 62. post medium usque ad finem & usque ad principium pag. 63. inclusivè. Item à medio pag. 112. usque ad medium paginæ 113. etiamsi Panegyrista Apologiæ III. pag. 30. dicat, se nihil tale vidisse in duabus paginis ultimò citatis.

Cæterùm expresse fatetur ibidem, *Se nullum quomodocumque obvium sensum in famosis Propositionibus damnabilem reperire præter sensum Lutheranum & Calvinisticum* (videlicet antedictum) jactatque quod *eum solum ab Innocentio damnatum fuiße in Prologo satiatissimè demonstraverit*, nempe varia congerens ex Santamorei Diario, cujus authoritatis patrocinium adversùs illa quæ integro Paragrapho nono *Defensionis* dicta sunt, in sua Apologia III. abdicare coactus fuit. Relege, si placet, Paragraphum 1. præsentis Opusculi.

Hæc itaque sunt illa omnia quæ ad tuendum suum Goliathismum affert Apologista, præterquam quod iterum aliò Lectoris attentionem divertere conetur, scilicet iterum instanter petendo explicationem sensûs obvii, quam nihil obstante

obstante Brevi Pontificio dari posse contendit. Sed quamvis ad hoc nihil responderetur, non ideò vacillarent ante dicta, aut postmodum dicenda. Respondebitur tamen suo loco, id est, §. 6.

Cum igitur exploratum sit quod Panegyrista per illum suum Goliathismum seu per solemnem suam provocationem non intendat nisi demonstrare quod liber Jansenii cum libris Augustini sic consonet, ut quinque famosæ Propositiones juxta Lutheranum aut Calvinisticum sensum antedictum intellectæ, non magis in illo quam in his contineantur: cumque pariter exploratum sit quod hoc numquam controverterim, sed econtrà concesserim, patet præfatam adeò solemnem provocationem, maximè quatenus in secunda Apologia ad me extensa fuit, esse ridiculam.

§. 5.

De iis ad quæ Panegyrista in sua secunda Apologia responsionem subterfugisse monitus fuerat paragrapho 1. Defensionis. *Item de quibusdam aliis notabilibus in eadem* Defensione *probatis, ad quæ Panegyrista in sua Apologia III. nihil aut prope nihil respondit.*

In

IN *Defensione Brevis Historiæ*, circa finem paragraphi primi, observatum fuerat quod Panegyrista Apol. II. pag. 5. me libellum *Historiæ Brevis* ex decem articulis conflasse dixisset, ut hoc prætextu ad ea quæ circa decem illos articulos allata sunt, respondendo, & nihilominus historiam à n. VI. usque ad XXXIV. inclusivè, id est, historiam ferè totam, intactam relinquendo, multorum amicorum quos ut *sigillatim* ad libellum responderetur cupivisse ibidem affirmat, voto obsecutus esse videretur.

Ipse verò Apol. III. pag. 3. hæc reponit: " Distorta adeò gestamus ingenia, „ ut quod negat (*Canonicus*) *se libellum* „ *conflâsse ex decem articulis*, *quos velut* „ *totidem objectiones meas sibi diruendas* „ *sumit*, satis apertè legerimus pag. 8. „ præfationis & sequentibus ad finem „ usque. Quod verò à me prætermissum venditat, frigidissima historiola „ est lippis & tonsoribus pœnè nota, „ scopum rei de qua contendimus neque feriens neque tangens, & reverà „ vix conducibilis &c."

Sed quod iteratò sustinet *me libellum conflasse ex decem articulis* (ac si nempe libellus

libellos solis illis articulis & responsis ad eosdem constaret, veluti Panegyristam significare dicto paragrapho monueram) quæres, Lector, loco à Panegyrista notato, & non invenies; imò contrarium ibidem exstat, uti & in ipso quidem libelli titulo qui ita se habet: "*Jansenismi Historia Brevis, cum* „*adjuncta solutione* plurimarum difficul„tatum in nova Panegyri Janseniana, „aliisque hujusmodi Scriptis adversùs „Apostolica Decreta propositarum." Nam ibi manifestè significatur quòd *Brevis Historia Jansenismi* sit pars libelli primaria.

Quod autem Panegyrista planè spernat illud quod ab ipso prætermissum & intactum fuisse monui, non mirabitur quisquis expendet quomodo idem Panegyrista totum anteà libellum in principio Apologiæ II. vilipenderit dicens illum, *si differendi robur ac momenta rationum penderes, esse plumâ leviorem*; itemque ejusdem Apologiæ pag. 5. vocans *scriptionem imbellem ac per se ruentem*; & quomodo nihilominus libellum confutare tentaverit ubicumque aliqua verisimilitudinis species ipsi favere visa fuit.

Et ſanè nil mirum quòd circa partem iſtam *Hiſtoriæ* longè præcipuam & maximam obmutuerit, cùm (uti diximus præfato paragrapho 1 *Defenſionis*) etiam obmuteſcere debuerit circa illa, circa quæ ſe locuturum eſſe promiſerat, nempe circa reſponſa noſtra ad 5. 6. & 7. articulos, ſive ad tres primos ex ſex reliquis poſt *Hiſtoriæ* finem examinatis: niſi forſan ipſum circa hæc tria non tacuiſſe cenſeamus ex eo quod pro his tribus Lectorem ad Diarium Sanctamorei remittat, nullo deſignato iſtius Diarii capite, folio, aut parte: & niſi forſan ſimiliter exiſtimemus ipſum circa ſeptem reliquos articulos non tacuiſſe cenſendum, ſi etiam pro his ſeptem pariter ad Diarium Santamorei remiſiſſet. Dum verò nihil ad ea repoſuit quæ circa tres articulos antè dictos allata ſunt, ſiluit conſequenter ad confutationem eorum quæ ad probandam ſubreptionem Innocentianæ damnationis quinque Propoſitionum in Panegyri allegaverat: nec non pariter eorum per quæ ibidem contendebat non fuiſſe authoritate Apoſtolicâ examinatum, an quinque Propoſitiones in libro Janſenii reperirentur, nec ne. *Hæc ibi.*

Quibus

Quibus consideratis non mirabitur etiam Lector quòd Panegyrista nihil istorum plausibiliter oppugnare valens, aliud nihil reponat, quàm quòd antedictos tres articulos innumeris levioribus factis non nisi operosissimo & casso labore convellendis asperserim, quòdque ipsi videar de istorum esse cohorte Scriptorum, quos in hoc genere molestiæ cyniphibus rectè compares. Ita ille Apol. III. pag. 31.

Addit ibidem quòd Jansenii Defensores ante Pontificiam Constitutionem quinque famosas Propositiones intellexerint in sensu gratiæ efficacis, qui tum illis certo intuitu erat obvius, litteralis, naturalis & proprius: & quòd post Constitutionem ideas Calvinisticas affinxerint ambiguis illis & multarum facierum enuntiatis. Ita ille. Sic autem se res habet. Quod S. Hieronymus Adversario suo quondam objecit, *Damnare non vis, & defendere non audes*, locum habuit in Jansenii Defensoribus ante Constitutionem. Nam tunc quinque famosas Propositiones damnare nolebant, & futurum Sedis Apostolicæ judicium metuentes, illas defendere non audebant. Quibus angustiis pressi,

totis viribus elaborârunt ut ab eadem Sede nihil pronuntiaretur super istis Propositionibus, sed tantummodò super Propositionibus aliis quas sub specie distinctionis triplicium sensuum exhibuerunt; ac si nimirum quinque famosæ Propositiones sensus illos triplices aut saltem duplices reciperent, quorum tamen nullum recipiunt: tantum abest quòd gratiæ efficacis, videlicet Augustinianæ, sensum reciperent tanquam *obvium*, *litteralem*, *naturalem & proprium*, uti loquitur Apologista.

Igitur iidem Jansenii Defensores juxta illa quæ S. Sedi multis iteratisque verbis anteà exposuerant, sæpe memoratum ac memorandum Scriptum obtulerunt cum hoc titulo: "Brevissima „quinque Propositionum in varios sen„sus distinctio, apertaque de iis tum „Calvinistarum ac Lutheranorum, tum „Pelagianorum ac Molinistarum, tum „Sancti Augustini ejusque discipulo„rum sententia, Beatissimo Patri In„nocentio Papæ X. oblata ab Orato„ribus Episcoporum Augustini causam „agentium anno 1653."

In quo scripto unaquæque quinque famosarum Propositionum collocatur

super

super tribus columnis, quarum prima continet sensum Lutheranorum & Calvinistarum: secunda sensum prætensorum Augustini Discipulorum: tertia sensum quem dicebant esse Molinæ & Adversariorum suorum.

Verùm quod inprimis ad sensum Molinianum attinet, etiam primâ fronte perspicuum est quod ille Propositioni famosæ non correspondeat, & ideò etiam in ipso tertiæ columnæ titulo expressè dicitur, quòd Propositio ibi contenta famosæ Propositioni sit *contraria*.

Quod ad sensum Lutheranum aut Calvinisticum attinet, illum Propositioni famosæ non correspondere liquet ex Paragrapho primo & ex *Parallelo*.

Denique quod attinet ad sensum mediæ columnæ, quem tanquam Augustinianum allegârunt Jansenii Defensores; etiam ille non correspondet Propositioni famosæ, veluti clarè patescet sequentes istius mediæ columnæ Propositiones expendenti, & cum quinque famosis conferenti.

I. Aliqua Dei Præcepta aliquibus justis volentibus & conantibus invalidè & imperfectè secundùm præsentes quas

 habent

habent vires, parvas ſcilicet & infirmas, ſeu auxilio efficaci ad plenè volendum & operandum neceſſariò deſtitutis, impoſſibilia ſunt proximè & complete, ſeu ab iis adimpleri proximè non poſſunt. Deeſt quoque illis gratia efficax quâ Præcepta illis proximè poſſibilia fiant, ſeu deeſt illis ſpeciale illud auxilium ſine quo juſtificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in accepta juſtitia, id eſt, in obſervatione mandatorum Dei perſeverare non poteſt.

II. Gratiæ Chriſti ad ſingulos pietatis actus proximè neceſſariæ nunquam reſiſtitur, hoc eſt, nunquam illa fruſtratur eo effectù ad quem à Deo proximè datur.

III. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate infallibilitatis, ſed ſufficit libertas à coactione cum judicio rationis, ſi conſideretur precisè eſſentia libertatis & meriti; quamquam ex ratione ſtatûs ſemper reperiatur indifferentia potentiæ quâ voluntas etiam ſub gratia proximè neceſſaria & ex ſe efficace poteſt non velle, non tamen ut unquam ſimul cum eadem gratia non velit.

IV.

IV. Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, etiam ad initium fidei, & in hoc hæreticè sentiebant, quòd vellent eam gratiam talem esse ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret vel eam respueret, seu ex se efficax non esset.

V. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus, seu nemine excepto, mortuum esse, eo sensu ut omnibus nemine excepto per mortem ejus oblata sit gratia ad salutem necessaria, quam consequi in nutu arbitrii sit positum sine gratiæ ex se efficacis adjutorio.

Hic itaque est sensus mediæ columnæ; qui etiam famosis Propositionibus non correspondet.

Sancta Sedes animadvertens totam illam *sensuum distinctionem*, esse fictitiam, nullumque ex triplici sensu allegato famosis quinque Propositionibus correspondere; sensus illos sibi exhibitos sprevit, ac quinque famosas Propositiones sicut jacent, sive secundùm terminos quibus constant, abstrahendo à sensu unius vel alterius (id est abstrahendo à Lutheranorum aut Cal-

vinistarum, prætensorum Augustini discipulorum, & Molinistarum, sensibus exhibitis) qualificare voluit, hancque suam voluntatem disertè præsignificavit ipsis Jansenii Defensoribus, velut ex Cardinalium & aliorum testimoniis à Santamoreo relatis ostenditur in *Historia Brevi* n. XIV. & in responsione ad 3. objectionem inter sex ultimas. Ac proinde si Jansenii Defensores quinque famosis Propositionibus post Constitutionem ideas Calvinisticas affinxerint, ut affirmat Apologista, sive si Propositiones illas juxta primæ columnæ sensum post Constitutionem intellexerint, proculdubiò eamdem Constitutionem eluserunt, prout etiamnum eludit Apologista. Sed *Deus non irridetur*.

Nunc pergendum ad alia quædam notabilia in *Defensione* probata, quibus in III. Apologia vel nihil vel prope nihil reponitur: atque inprimis observandum quod ad tertium, quartum, & quintum *Defensionis* Paragraphos in quibus Urbani VIII. & Pii V. Bullæ propugnantur, non habuerit Apologista quod reponeret.

Idem est de sexto ejusdem Defensionis

nis Paragrapho, in quo agitur de Janseniani operis approbationibus, ex quibus ipse contenderat esse moraliter impossibile quòd idem opus contineret quinas hæreses.

Sed bellus est prætextus quo suum circa hæc omnia silentium excusare nititur Apol. III. pag. 32. his verbis: " De Bullis, inquit, Urbani VIII. ac „ Pii V., itemque de argumento petito ex Approbatoribus Janseniani „ operis, jam plus nimio altercatum; „ quare Lectorem judicem dimitto ad „ ante dicta: ne liticulæ illæ emergentes, & jam centies recoctæ crambes, „ dicanda melioribus otia abliguriant." ac si nimirùm non ipse fuisset, qui dictas controversias, quas nunc *liticulas emergentes* nuncupat, tanquam summi momenti lites deditâ operâ suscitavit, & qui *crambes* illas de industria *recoxit*.

Etenim circa initium Prologi Panegyreos sic ait: "Ut Viri illius magni „ (*nempe Jansenii*) ineluctabilem innocentiam solari radio donare incipiam, „ principio non contemnendum operæ „ pretium mihi facturus esse videor, „ si sequentia testimonia" (*nempe* 56.

Virorum eruditorum approbantium Opus Jansenii.)" in ipsa contestationum ori-
„gine ad purgationem clari Præsulis
„pleno cornu fusa, præfixis hisce A-
„pologeticis Observationibus denuò
„in prælum mittam. (*En recoctio*
„*crambis*) Id insuper habebit editio
„ista commodi, ut libellum longævæ
„posteritatis memoriâ dignum, ac cum
„blattis & tineis jam fortè pugnantem,
„ab edacis temporis injuria vindicet."
En prima ratio recoctionis. Secunda est, ut ex tot testimoniis eruditorum Virorum cujusvis ordinis, gradûs & instituti, Panegyrista probaret esse moraliter impossibile (veluti toto paragrapho 2. primæ sectionis Prologi galeati explicat) quòd liber Jansenii contineat quinas hæreses. Et quidem propter hanc secundam rationem ista testimonia tanti fecit idem Panegyrista, ut libro suo hunc titulum dederit: *Panegyris Janseniana, seu testimonia eruditorum Virorum celebrantia librum cui titulus: C. Jansenii E. I. Augustinus, addito Prologo galeato* &c.

Præterea quod ad dictam Urbani VIII. Bullam articulos à Pio V. proscriptos & in libro Jansenii innovatos concernentem attinet; etiam antiquas circa illam lites innovavit Panegyrista; primò

primò pag. 29. Prologi Panegyreos magnopere commendando *Rationes ob quas Archiepiscopus Mechliniensis à promulgatione Bullæ quâ proscribitur liber C. Jansenii abstinuit*: Secundò ibidem ex Sinnichii testimonio parum ad rem pertinente, resuscitando sæpe jactatam & nunquam probatam Albizii gravissimam accusationem: Tertiò priscam de famosa interpunctione controversiam retintegrando per actam in Panegyri Janseniana pag. 77. & 78. recitatam. Hæc igitur dicta sint ad demonstrandos antedicti silentii falsos prætextus.

Etiam Panegyrista tacitus præterire debuit illa omnia quæ contra Diarii Santamoriani authoritatem integro paragrapho 9. *Defensionis* allegata & probata sunt.

Ejusdem *Defensionis* paragrapho 10. *De Decretis Apostolicis indicentibus silentium in materia de Divinis Auxiliis, id est, vetantibus in ista materia quidquam in lucem edi sine licentia Sacræ Congregationis*, dictum erat quòd Apologista scripsisset in Apologia II. *Silentium ejusmodi ferme tam servatu impossibile esse quàm silentium indicendum de*

Deo trino & uno, aut de Chisto Jesu Salvatore mundi: item quòd (allegatis quibusdam supplicibus libellis quos olim PP. Dominicani istius materiæ explicandæ ac definiendæ necessitatem exaggerantes obtulerunt) sic loqui auderet ibidem: *Ex hisce solidis ac perspicuis planè documentis abundè eruitur, quàm fugerit eos ratio qui Pontificibus Authores fuêre condendarum istiusmodi impossibilium servatu praceptionum.*

Apologista verò allegat Adrianum VI. ac si hic Pontifex Imperii Principibus apertè fatendo aliquos excessus in quorumdam Pontificum Mandatis extitisse, propterea ipsi præbuisset exemplum in Mandata Pontificia, & quidem in Decreta totam Ecclesiam concernentia, taliter insurgendi.

Demum objicit ibidem Apologista imprudentem esse meam assertionem de quæstionibus intercurrentibus à Cælestino in Epistola ad Episcopos Galliæ commemoratis. Sed cùm nihil aliud hac in parte scripserim quàm quòd Innocentii XII. ad Facultatem Lovaniensem Breve significat, eorum judicio qui Sedem Apostolicam, uti decet, venerantur, potiùs imprudens censebitur prædicta objectio.

§. 6.

§. 6.

De iis quæ Canonico incumbere contenderat Panegyrista in Apologia II. pag. 28. & 29.

PAnegyrista ibi varia quæsita proposuerat, & quasi pro jure suo mihi ad illa respondendi obligationem imponere voluerat: quamquam autem ea aut saltem eorum pleraque spernere potuissem, parui tamen in *Defensione* §. 11. quantum licuit. Sed ipse in Apologia III. pag. 33. 34. & 35. quædam opposuit hic perpendenda.

Ad quæsitum primum quod tale erat: *An juxta usitatum loquendi modum verba Formularii non contineant assertionem facti Janseniani*: dixeram me respondere non posse propter silentium impositum in Brevi de 6. Feb. 1694. & in Decreto de 28. Jan. ejusdem anni.

Panegyrista verò Apol. III. pag. 33. reponit quòd *in Decretis illis de imposito illo silentio nihil omninò legat.*

Verum nunquid ergo in præfato Brevi ad Episcopos Belgii, hæc legit: „Præcipimus ut quemadmodum ii qui „ad juramentum adigendi sunt, illud

„ præſtare debent ſincerè abſque ulla
„ diſtinctione, reſtrictione, ſeu expoſi-
„ tione.... ita per Fraternitates veſtras
„ ab iis qui Formulario præſcripto ſub-
„ ſcribent ac juramentum præſtabunt,
„ præter Formulam ipſam traditam,
„ verbaque in Conſtitutione Apoſtoli-
„ ca præſcripta quidquid aliud vel mi-
„ nimum declarationis, interpretatio-
„ nis, aut explicationis, verbo vel ſcrip-
„ to non exigatur."

Nunquid item in prædicto Decreto legit hæc verba:" SS. Dominus... ad
„ præcavendas diſſidiorum cauſas quæ
„ Chriſtianam pacem dilacerant, ...
„ ſuper ejuſdem Formularii interpreta-
„ tione, ſicut & prædictarum Propo-
„ ſitionum, in alios ſenſus, præter eum
„ quem ipſa verba per ſe exhibent, om-
„ nibus & ſingulis... perpetuum ſilen-
„ tium impoſuit."

Neque ſatisfacit Apologiſtæ reſponſio quæ declarat ſe non petere interpretationem Formularii aut quinque Propoſitionum, in alios ſenſus, præter eum quem ipſa verba per ſe exhibent; ſeque petere dumtaxat illum ipſum obvium ſenſum ſibi exponi, quem ipſa verba per ſe exhibent. Hoc, inquam,

non satisfacit, quia (præterquam quod in verbis anterioribus præcipiat Pontifex juramentum præstari *absque ulla expositione* : & quod ibidem prohibeat præter Formulam ipsam traditam, verbaque in Constitutione Apostolica præscripta quidquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis aut explicationis, verbo vel scripto exigi) isti responsioni luculenter obstant jam dicti Decreti verba sequentia: " Districtè injungit (SS. Dominus) ne in posterum audeant imprimere, vel imprimi facere seu quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, theses, compositiones & scripta de supradicta materia tractantes seu tractantia. Et ut hujusmodi Decretum inviolabiliter super omnibus in eo contentis observetur, præcepit & declaravit, contravenientes pœnas privationis dignitatum & officiorum suorum &c. incurrere &c. Librosque omnes, tractatus, theses, compositiones, & scripta, quos seu quæ contra dicti Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione tanquam expressè prohibitos vel prohibita haberi." Hæc igitur *ad præcavendas dissidiorum causas*

ſas quæ Chriſtianam pacem dilacerant, Sua Sanctitas diſtrictè ſervari mandavit.

Unde etiam propter ſilentium hujuſmodi ſolutum, varii tractatus tam ab his quàm ab illis editi, per Sanctam Sedem fuere proſcripti: videlicet ex una parte vetitum fuit aliquod cujuſdam Doctoris Lovanienſis opuſculum, uti & plures Franciſcanorum theſes: & ex parte altera vapulavit quædam alterius Doctoris epiſtola ad Illuſtriſſimum D. Archiepiſcopum ſcripta.

Itaque nemo ex me quærat, aut à me exponi deſideret, an Sancta Sedes exigendo Formularii ſubſcriptionem, illud quod factum Janſenianum vocant, juratum aut aſſertum, aut perſuaſum eſſe velit? An non velit? Etenim, ſub humili correctione, ex anterioribus ſatis conſtare arbitror quod eadem Sancta Sedes, *ad præcavendas diſſidiorum cauſas*, ſuper hac materia quidquam edi nolit.

Sed ſi præfatum ſilentium (ait Apologiſta Apol. III. pag. 22.) *præciperet Pontifex, patrocinium illius ſuſcipienti incumberet oſtendere præceptionem hujuſmodi eſſe juſtam; aut ſi hanc fortaſſe in-*

eptam

eptam flagitationem existimet, demonstrare igitur quod nihil omninò injusti possit Pontifex imperare.

Cui respondeo tam posteriorem quam priorem flagitationem ineptam esse, quemadmodum etiam ineptæ videntur duobus Theologis à Panegyrista laudatis, nempe Petro Aurelio & Authori Difficultatum Domino Steyaert propositarum. Hic enim Author loco in secunda appendice ad *Brevem Historiam* citato, sic ait : " Dum aliquod Tribunal non infallibile fert „ sententiam, præsumitur eam esse ju„ stam....... adeò ut qui de illa con„ quereretur, rationes speciales allega„ re teneretur, quibus illius injusti„ tiam ostenderet..... Unde dum qui„ dam Religiosi se Abbatis sui præ„ ceptis non adstringi contenderent, „ prætexentes quod posset ille quædam „ præcipere Divinæ Legi contraria; „ S. Bernardus in libro de Præcep. & „ dispens. ita respondit: *Quid ad te, qui* „ *conscius non es? Que vous sert d'alle*„ *guer cela, quand vous n'estes point as*„ *suré que ce qu'il vous commande y soit* „ *contraire?* " Et similiter Petrus Aurelius in assertione epistolæ Ill. ac Rev.

Galliæ Antiſtitum pag. 21. & 22. ultimæ editionis, inter plurimas quas affert ejuſdem rei probationes, ſuggerenti quod Epiſcopi falli poſſint; cum S. Bernardo reſpondet : *Quid hoc refert tuâ, qui conſcius non es?* Quibus hanc addo ego ejuſdem S. Patris in libro prædicto ſententiam : *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non ſit tamen certum diſplicere Deo, haud ſecùs omninò accipiendum eſt, quàm ſi præcipiat Deus.*

Verumtamen "aveo cognoſcere(inquit Panegyriſta dictâ pag. 33. Apol. „ III.) quo pacto à quopiam jurejurando aſſeri poſſit quod ignorat, de „ quo hæſitat, vel quod forſan malè „ intelligit, & à rogato tamen explica„ tionem *Judice* non exponitur?" Ita ille : qui hæc quærendo, uti aliàs frequenter, extra oleas vagatur : Non enim hìc agitur de tali jurejurando quale per Judicem à teſtibus vel ab ipſo Reo exigi ſolet : ſed de fidei formula Clericis & laicis, Religioſis viris & fœminis per Sedem Apoſtolicam, accedente Eccleſiarum conſenſione, præſcriptâ, ac poſtmodum auditis omnibus in contrarium allegatis denuò ſolemniter confirmatâ, ſicque receptâ

receptâ ut nulla particularis Ecclesia, nec ullus Episcopus, imò nec ullus alius, exceptis aliquibus nomen suum prodere non audentibus, repugnet.

Ut autem hæc clariùs intelligantur, expendemus hìc Formulam juramenti professionis fidei à Pio IV. præscriptam. Juxta Formulam istam, inter alia juramento confirmantur sequentia.

"Omnia & singula quæ de Peccato „ originali, & de Justificatione in sa„cro-sancta Tridentina Synodo defi„nita & declarata fuerunt, amplector „ & recipio.

„ Sanctam Catholicam & Apostoli„cam Romanam Ecclesiam, omnium „ Ecclesiarum Matrem & Magistram „ agnosco; Romanoque Pontifici, „ Beati Petri Apostolorum Principis „ successori ac Jesu Christi Vicario ve„ram obedientiam spondeo ac juro. „ Cætera item omnia à Sacris Cano„nibus, & OEcumenicis Conciliis, „ ac præcipuè à sacro-sancta Triden„tina Synodo tradita, definita & de„clarata, indubitanter recipio atque „ profiteor; simulque contraria omnia, „ atque hæreses quascumque ab Eccle„sia damnatas, rejectas & anathema-

„ tizatas, ego pariter damno, rejicio
„ & anathematizo."

Hoc igitur juramentum ſimpliciter exigitur, ſimpliciterque præſtatur à Clericis & Laicis.

Quemadmodum autem Panegyriſta Janienianus ſupradictum illud tuum, *Aveo cognoſcere* &c. objicit illis qui juxta Formulam Alexandri VII. jurant, ita & his omnibus aut ſaltem horum plurimis objicere poterit hoc modo.

" Aveo cognoſcere quo pacto à quo-
„ piam jurejurando aſſeri poſſit quod
„ ignorat, de quo hæſitat, vel quod
„ forſan malè intelligit, & à rogato ta-
„ men explicationem Judice non ex-
„ ponitur."

Quamobrem aveo cognoſcere (veluti conſequenter objicere poterit) an tu qui prædicta omnia juxta Formulam à Pio IV. præſcriptam jurejurando aſſeris, nihil iſtorum ignores? An non de iſtorum aliquo hæſites? An nullum te malè intelligere ſcias? An explicationem eorum omnium quæ non benè intelligis, Formulæ Exactorem rogaveris? An ille Exactor ſufficientem explicationem dederit?

Si

Si enim non aliud responderit, quàm quòd Decreta illa omnia quæ te amplecti juras, intelligantur secundùm suum tenorem, aut sicut jacent, aut juxta sensum suum litteralem, aut naturalem, aut obvium quem verba per se exhibent; quæro ulteriùs (veluti Panegyrista secundùm sua principia rursùm quærere poterit) an sic illa magis intelligas quàm si sensum *blictricum*, de quo Apol. III. pag. 26., dixisset Exactor.

Atque hoc ultimum eò majori colore quærere poterit, quod inter eruditos adhuc modò de quorundam Decretorum Tridentinorum sensu controverti videatur: & quod illi qui Suavianam Concilii Tridentini historiam magni faciunt & incautè legunt, facile sibi persuaderi sinant quòd pleræque ejusdem Concilii Definitiones & Sanctiones ambiguæ sint, & duplicem aut triplicem sensum recipiant.

Præterea antequam Romano Pontifici veram obedientiam jures, nonne scire deberes quænam sit illa obedientia vera quæ cum juramento promittenda tibi præscribitur?

Denique nunquid præviè nosse de-

beres quænam, & quo sensu intelligenda sint cætera illa omnia à Sacris Canonibus & OEcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacro-sancta Tridentina Synodo tradita, definita, ac declarata, quæ indubitanter recipis atque profiteris? Item quænam sint illa contraria omnia atque hæreses quæcumque ab Ecclesia damnatæ, rejectæ & anathematizatæ, quas pariter damnas, rejicis & anathematizas?

En igitur quomodo juxta Panegyreos Jansenianæ & Apologiarum ejus principia, fidei Formulæ eludi possint.

Ad quæsitum secundum, videlicet: *An alio principaliori fine Alexandri VII. Constitutio emanaverit, quam ad factum Jansenianum asseverandum*, responderam his verbis: " Proculdubiò illud ,, quod factum Jansenianum vocant, as-,, severavit & asseverare intendit Ale-,, xander VII. sed unà vel maximè in-,, tendit, Innocentii X. Constitutio-,, nem confirmando & innovando, ,, quinque Propositiones sic damnare in ,, sensu Jansenii, ut easdem damnaret ,, juxta suum tenorem, id est, inter-,, prete Innocentio XII. juxta sensum ,, obvium quem ipsamet Propositionum

„verba præ se ferunt; & consequenter
„non tantum juxta sensum Luthera-
„num & Calvinisticum à Santamoreo
„aut Panegyrista assignatum."

Panegyrista verò unâ hujus responsi parte dumtaxat & minus sincerè relatâ, sic ait: "Dic sodes, sensus ille Jansenii & sensus tenoris istius sive sensus obvius, idemne sensus est?" Ac si non observâsset ipsemet me non semel dixisse quod Sancta Sedes eundem esse censeret.

Pergit ille nihilominus sic quærere: *Et qualis, quæso, tandem est, si non est Lutheranus aut Calvinisticus*, nempe à Santamoreo & à Panegyrista assignatus? Quomodo ab hoc differat, videre est in suprapositio paragrapho primo, & in *Parallelo* hic juncto.

Ad quæsitum tertium: *An Innocentius XII. Alexandri Constitutionem & Formularium confirmet?* Respondi affirmando, uti fatetur Apologista, qui nihil habens quod opponat, mox aliud quæsitum arripit.

Ad quæsitum quartum quod tale erat: *An Pontifices in talibus factis asserendis vel firmandis sint falli nescii*; significat quod hoc solum dixerim: *Non potest*

poteſt ad hanc quæſtionem categoricè reſponderi : cùm tamen hæc ſint verba mea : "Non poteſt ad hanc quæſtio-
„nem categoricè reſponderi, niſi ſimul
„exponatur quale factum Pontifex ju-
„rari aut credi velit, aut non velit :
„hoc autem *ad præcavendas omnes diſ-*
„*ſidiorum cauſas* interdixit Innocen-
„tius XII."

Ad quæſitum quintum: *An liceat jurejurando affirmare quod falſum credas, vel de quo an falſum ſit, legitimis rationibus dubites* : fatetur Apologiſta me rectè reſpondiſſe negando: ſed fingit me fugere quia hæc addidi : " Et nihilo-
„minus ſi Sancta Sedes ſolemnem ju-
„ramenti Formulam, præſertim Ec-
„cleſiarum conſenſu firmatam, à te
„exigat, renuere non potes hoc aut
„ſimili prætextu, quod à te exigatur
„illud jurari quod falſum credas, vel
„de quo an falſum ſit, legitimis ratio-
„nibus dubites." Atque ut plauſibilius me fugere fingat, præfata verba mea immutat; hæcque omittit, *hoc aut ſimili prætextu*. Deinde quærit : "Quid
„ſibi ante omnia velit vox *præſertim*? An
„indicatum cupiam ne quidem poſſe
„renui jusjurandum, tametſi ſine illo
„conſenſu

„ consensu Sedes Apostolica illam exi-
„ gat? Quam enim sit revera vanus il-
„ le consensus," ait, "ex superiùs nar-
„ rata historia abundè patuit." Cui respondetur econtrà demonstratum esse superius quod talis consensus accesserit: & nihilominus addidisse me vocem *præsertim*, ut sic ostenderem me præjudicatum nolle communi sententiæ quæ tenet quod si Sancta Sedes, etiam absque aliarum Ecclesiarum consensu, solemnem juramenti Formulam fidelibus præscribat, possint hi sine perjurii aut alterius flagitii periculo subscribere. Sed ad Panegyristam confutandum istâ sententiâ non egeo, quandoquidem velut antè monstratum est, exactioni Formulæ Alexandrinæ Ecclesiarum consensus accesserit, & talis quidem, qui juxta Cleri Gallicani Declarationem sufficit ut causa jam finita censenda sit. Neque ad securitatem à crimine in hoc casu fidelibus afferendam, assumere debeo quod vel Summo Pontifici vel Ecclesiæ in Concilio OEcumenico congregatæ competat auctoritas in factis Janseniano similibus affirmandis falli nescia, cum illa securitas à crimine abundè ex alio capite stabilita sit. Unde perperam hìc iterum Apo-

logista sibi probari postulat quod Summus Pontifex, aut quod ipsa Ecclesia in Concilio OEcumenico congregata, in factis ejusmodi affirmandis errare nequeat.

Quod verò ibidem *fatetur fieri nequaquam posse ut Formula quadam perjurio gravida à cunctis in Ecclesia acceptetur, & subsignatione omnium mortiferâ per manus transeat*, parum ad rem præsentem pertinet, quippe in qua manifestè quæritur, non tam an fieri possit quod dicta Formula acceptetur à subditis, quam an possit fieri quod illam Ecclesiæ Prælati exigant. Et meritò: nam tota auctoritas Ecclesiæ formaliter est tantum in Prçlatis, & horum generale Concilium Ecclesiam universam reprçsentat.

Unde quod Apologista, juxta usitatam & à peritis agnitam hyperbolen, propemodum universum orbem Athanasii condemnationi olim subscripsisse (& consequenter, velut ista subscriptio tunc temporis intelligi videbatur, Catholicæ fidei nuncium misisse) subjungit, parergum est: nam talem subscriptionem non Ecclesia, non Sancta Sedes & Episcopi Catholici exegerunt: sed Ariani, favente Constantio Imperatore, vi & dolo à Fidelibus extorserunt.

Ac

Ac proinde talis abnegatio fidei aut talis condemnatio Athanasii, quâ se tunc inquinavêre multi fideles, ad rem præsentem non pertinet; quemadmodum non pertinet alia similis abnegatio quam Imperatores Ethnici extorserunt, aut quam extorquebit Antichristus. Ex quo etiam sequitur Apologistam admodum inconsultè uti testimonio præfati Constantii Arianorum fautoris, totum orbem sibi in Athanasio damnando consentire jactantis. Sed quid mirum, cùm suspecta testimonia passim adhibere soleat.

Ad quæsitum octavum (prout illud vocat Apologista, cùm dicere debuisset sextum) *An argumenta pro Jansenio adducta non evincant innocentiam ejus saltem esse probabilem, aut noxam ejus ad minus esse dubiam & incertam*: Respondi his verbis: " Non repugno quo minus hoc detur: siquidem ibi vox *Jansenio* accipitur pro persona, non autem pro libro, veluti probatur ex adjunctis dictionibus *innocentiam* & *noxam*. Si verò nihilominus contendas per *Jansenium* ibi intelligi librum, adeóq; conformiter intelligi dictiones *innocentiam* & *noxam*, tunc repugno."

Apologista verò nihil reponens ad

probationem ex vocibus *innocentia* & *noxa* petitam, dicit in quæsito evidenter intelligi librum, hancque rationem addit: *Quis enim uspiam gentium litem aliquando movit de vita Jansenii?*

Sed si nemo litèm moverit de vita Jansenii, cur ergo alibi sæpe queritur Panegyrista eundem Episcopum accusatum damnatumque esse, ac modò damnari, tanquam nocentem & noxæ reum propter hæreses in libro suo traditas? Sic enim in verbis ex principio Apologiæ III. suprà relatis scribit: " Verba Formularii juxta receptum a-„pud omnes homines idioma, *Janse-„nium nocentem* dicunt, hoc est, au-„thorem variarum hæresum *libro suo* „comprehensarum." Addit ibidem quòd " tale facinus in Episcopum.... „calumnia sit gravissima." Neque obtendere potest quòd per *Jansenium* hic intelligat *librum*, quandoquidem ibidem hæc duo disertè distinguat.

Ex responso autem negativo, quod, supponendo per *Jansenium* intelligi librum, ad quæsitum dederam, sic infert Apologista: " Ergo, ait, neque „omnes Approbatores doctissimi Præ-„sulis, numero amplius quinquaginta, „neque illustres & illustrissimi Defen-

„sores ejus, quos in Belgio & Gallia „habuit; cum infinitis aliis productis „in Prologo rationibus, apud Canoni„cum vel sententiæ probabili conden„dæ, aut in dubium vocandæ noxæ Jan„senianæ, sat habeant virium." Ita ille.

Verùm quod attinet ad præfatos Approbatores, factum est satis in *Defensione* § 6. nec Apologista habuit quod reponeret: & de hoc iterum dicetur in Scripto Gallico hìc juncto.

Quod ad Defensores attinet: inprimis Belgæ se non immiscuêre quinque Propositionum negotio: quod autem ipsorum aliqui librum istum à damnatis à Pio V. Propositionibus immunem ostendere contenderunt, perperam factum esse monstrat ipse Panegyrista, hoc ipso quo satis apertè concedit Apol. II. pag. 11. quòd Jansenius unam aut alteram ex illis Propositionibus propter offensionem dumtaxat quam *novitate suâ aliquibus* præbebant, proscriptas fuisse asseveraverit: velut adhuc dictum est in *Defensione* paragrapho quinto: ad quem, sicut & ad alios plures, Apologista respondere non potuit.

Plurimi verò ex Defensoribus Gallis, uti & Panegyrista cum prætensis suis *infinitis in Prologo productis rationibus*,

 librum

librum iſtum, non à quinque Propoſitionum hæreſibus, ſed ab aliis dumtaxat, eximere contenderunt; uti patet ex antè dictis, & ampliùs patebit ex *Hiſtoria Generali Janſeniſmi*, de qua posteà, & ex *Parallelo*.

Ad illud denique quod Apologiſta propoſuerat: ut ſi *argumenta pro Janſenio* (id eſt pro libro ejus, veluti verbis antè relatis idem Apologiſta interpretatus eſt) *adducta non evincant innocentiam ejus ſaltem eſſe probabilem, acceptarem ergo provocationem oblatam* &c. reſponderam quòd clarè ſatis oſtenſum eſſet, frivolam eſſe hujuſmodi provocationem; ſicuti reverà talem eſſe ex hoc ſolo conſtabat, quòd ſuper aliquo minimè controverſo, ſed disertè conceſſo, foret oblata. Vide, ſi placet, paragraphum quartum præcedentem.

Sed notabile eſt quod Apologiſta ſtatim immemor ſui, ſibique non conſtans, ſubjungit hic agi ut declaretur ipſe Janſenius ſenſus quoſdam hæreticos, blaſphemos, impios docuiſſe, ideoque debere clariſſimis ac certiſſimis argumentis probari ipſum iſtorum eſſe nocentem, quemadmodum atteſtatio de enormi crimine contra caſtitatem per Epiſcopum Janſenium tali die &c. ſcan-

ſcandaloſè patrato, jurejurando firmari non poſſet, niſi per illum qui de teterrimo illo facinore manifeſtis & irrefragabilibus argumentis perſuaſiſſimus ac convictus eſſet. Hæc igitur ille: qui ulterius ſic ait: "An porro alicui exi-
„lius putatur eſſe crimen, per totos
„22. annos ſe macerare, ut blaſphemiis,
„impietatibus, hæreſibus Religionem
„evertas; quam committere id flagitii
„quod in propoſito teſtimonio man-
„datur jurejurando aſſeri."

Ex quo ſequitur quod, juxta Apologiſtam ſibi contrarium, dum contenditur quod Janſenius quinque famoſas hæreſes tradat, *moveatur lis de vita Janſenii.*

Sequitur ulterius quod Apologiſta peſſimè de Janſenio meritus ſit, utpote quem graviſſimi criminis reum eſſe fatetur, ſi in ejus Opere ſenſus quidam Propoſitionum hæretici, blaſphemi, impii reperiantur: & quem nihilominus ab iſtarum Propoſitionum hæreſibus, blaſphemiis, impietatibus vindicare non contendit; ſed tantum ab aliis hæreſibus, blaſphemiis, impietatibus, quæ iiſdem Propoſitionibus affinguntur. Quomodo autem nos Janſenium excuſemus, videri poteſt paragrapho 2.

§. 7.

§. 7.

De quibusdam Apologistæ commentis & diverticulis pag. 36. & 37. contentis.

PRimò affirmat me refricare antiquam cantilenam de promisso Salvatoris Ecclesiæ stabilito, *ne in talibus factis exigendis erret*: cum tamen hoc nullibi dixerim. Unde pariter ab ipso fictum est quod subdit, me *huic arundineo baculo inniti*. Sed hæc sunt quæ dico, & quibus innitor. Sicuti omnium Theologorum calculo comprobatur hoc Sancti Augustini pronuntiatum: *Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret authoritas*; ita pœnè celebratur, nequidquam hìc repugnante Apologista, istud alterum Richardi à S. Victore super articulis fidei divinæ ab Ecclesia propositis Deum compellantis hoc modo: *Dominè si error est, à Te decepti sumus*. Cumque juxta Christi promissum non minus impossibile sit quod Ecclesia fideles suos ad perjurium aut ad aliud quodcumque crimen adigat, quam quod aliquid tanquam à Deo revelatum próponendo, ipsos fallat; consequens est nos, Richar-

di Theologorumque pœnè omnium exemplo, pariter de quocumque Ecclesiæ præcepto dicere posse, quod si tale præceptum sine perjurio aut alio crimine adimpleri non posset, à Deo pejerare vel aliud crimen patrare juberemur.

Nunc veniendum est ad aliud Apologistæ commentum, nempe ac si Athanasianam persecutionem subscriptioni Formularii (quam idem Apologista persecutionem Jansenianam appellârat) comparandam non esse idcircò dixissem, quod *plures Episcopi jam condemnationi Jansenii, quam olim Athanasii, subscripsissent*, cum prorsus aliud ibi (scilicet §. 11. *Defensionis*, in fine) dixerim: cui Apologista nihil reponendum habuit, uti nec illi quod ibidem responsum est circa Antichristi persecutionem: ideòque diverticula quærens sic ait: " Concertamus in hac
„ lite (quod ritè observes) de Formu-
„ larii subscriptione qualis illa jam exi-
„ gitur à Belgii Hispaniensis Episco-
„ pis, non tantum sine ullo prorsus in-
„ dicio quo significetur jusjurandum
„ non cadere in assertionem facti, sed
„ cum indiciis planè contrariis, ut ex
„ Decretis eorundem Episcoporum, &

„aliis diversis circumstantiis clarè dis-
„citur." Ita ille. Sed quod ibi affirmat, & quidem ritè observandum monet, talem esse nostram concertationem, prorsus à veritate alienum est: neque istius rei vestigium invenitur in secundæ Apologiæ pagina 16. ad quam nos remittit Apologista. Ad rem verò non pertinet quod simile quid in prima Apologia reperiatur, quippe quæ non mihi aut opusculis meis, sed quibusdam Academiæ Lovaniensis Theologis opposita fuit; adeò ut concertationis nostræ status ex ea peti non possit. Deinde nunquid Apologista negare potest quod simplicem Alexandri VII. Formulam & utrumque Innocentii XII. ad Episcopos Belgii Breve in Panegyri Janseniana & in Apologiis ejus impugnârit, & quod ego ista tria adversùs hanc impugnationem propugnare in Historia Brevi & in ejus Defensione conatus sim? Denique nunquid ipse eandem Alexandri VII. Formulam patenter impugnare pergit in ipso Apologiæ suæ ultimæ principio; uti videre est ex verbis paragrapho 2. relatis? Cæterum quod attinet ad *Formularis subscriptionem qualis illa jam exigitur à Belgii Hispaniensis Episcopis*; jam non

exigitur

exigitur ab Illustrissimo ac Reverendissimo D Archiepiscopo, alia quàm simplex Formulæ Alexandrinæ subscriptio, juxta utrumque Breve Innocentii XII. & idem esse credo de Illustrissimis ac Reverendissimis DD. Episcopis.

Quod autem ex novemdecim Episcoporum epistola contendit Apologista quòd plerique Galli variis modis testatum dederint assertionem facti juramento quod exigebant, nullatenus illigari; parum ad rem facit, quandoquidem ipsi quatuor Episcopi (aliis novemdecim instigantibus vel applaudentibus) Formulario *nudè* subscripserint; velut ipse Apologista Apologiæ I. pag. 12. & 13. valdè dolenter attestatur.

Præterea, quidquid tunc actum fuerit, Generalis Conventus Cleri Gallicani in nupera sua Declaratione, de Innocentii XII. Brevibus loquens (per quæ disertè Formulæ Alexandrinæ subscribi præcipitur *sincerè absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione*) non solùm illa *æquissima* esse censet, verùm insuper *ab omnibus approbata* esse testatur. Quod testimonium si Apologista non accipiat, quærat ergo in

 tota

tota Gallia, & inveniat vel unum Episcopum refragantem. Sed quandonam inveniet, cùm in *Historia Brevis Defensione* rogatus ut vel unum in tota Ecclesia Episcopum exactioni Formulæ Alexandrinæ modò repugnantem allegaret, hactenus talem allegare non potuerit.

Quin & inficiari non audet, quod Arnaldus ipse postremis vitæ suæ annis apertè censuerit resistendum non esse: & solummodo monet ipsum ante emanatum Breve secundum, quod nodum duriùs stringere dicit, ex hac vita migrâsse.

§. 8.

De eo quod Apologistæ incumbere dixerat Canonicus §. *ultimo* Defensionis.

FErre non potest Apologista, quod, postquam ad illa quæ mihi incumbere contendebat, responderam, vicissim quidnam ipsi incumberet indicaverim, nimirùm *hoc unum ut tandem Apostolicis desineret obtrectare Decretis.* Hoc, inquam, ferre non potest, meque econtrà in eo obtrectatorem agere dicit, quasi ipse hoc unum doceret, nempe "facta non revelata Decretis

„ Apostolicis comprehensa *non omni-*
„ *modâ & infallibili certitudine definiri,*
„ adeoque nec eâ solâ authoritate cer-
„ titudinem ad jusjurandum licitè præ-
„ standum idoneam acquirere:" cùm ipse nihilominùs hoc modo aliisque plurimis antedictis Apostolica Decreta audacter impetierit, iisdemque obtrectârit. Parum dixi: nam ipsis quoque Ecclesiæ Principibus, aliisque pluribus obtrectavit.

Siquidem ipso Prologi Panegyreos initio, Illustrissimum ac Reverendissimum Archiepiscopum nostrum insimulat *zeli importuni.*

Ibidem pag. 14. Septem Provinciales Religiosorum Ordinum nominibus propriis designatos vocat *Pseudo prophetas.*

Pag. 16. Habertum Doctorem ac Theologalem Parisiensem (posteà Vabriensem Episcopum) vocat *Thrasonem gloriosum.*

Pag. 26. De Hallerio Doctore (posteà Episcopo) sic ait: *Doctor iste in texendis calumniis præstans.*

Pag. 29. dicit quòd Albizius S. Officii Assessor (posteà Cardinalis) Bullam Urbanianam interpolatis pro suo arbitratu verbis adulteraverit, & illi

nomen Janſenii, inſcio quin & adverſante Pontifice, intrudi fecerit.

Pag. 40. accuſat Innocentium X. & Alexandrum VII. quòd non inſtituerint debitum examen cauſæ Janſenianæ.

Apologiæ I. pag. 4 ſic ait: "*Scopus*
„ *Domini De Marca* Epiſcopi Tolo-
„ ſani, & *Patris Annati* Confeſſarii
„ Regii (hi quippe primi Formula-
„ rium excogitârunt & ruditer adum-
„ brârunt) *iſte erat*, inquit Apologi-
„ ſta portus Regalis, parte 3. in Præ-
„ fat., ut adinvenirent technam ali-
„ quam, quâ perſonis quibuſdam labem
„ hæreſeos affricarent."

Deinde in ipſa Apologia tertia, in qua præfatum de relinquenda obtrectatione conſilium ægrè fert, ſic ait:
"Quid de Curialibus illis quorundam
„ Galliæ Optimatum & Epiſcoporum
„ Conventibus & machinamentis (nam
„ reverà procelloſus ille Janſenianæ ve-
„ xationis turbo è regione iſta in orbem
„ Chriſtianum incubuit) juxta fidei &
„ ſanæ rationis Regulas cenſeri debeat,
„ paucis accipe." pag. 5.

„ Curiæ Gallicanæ potentia ſe to-
„ tam exhauſit exitio Janſenii per a-
„ cerrimas molitiones, ac diverſa ſtra-

„ ta-

„tagemata, versutè deproperando." pag. 6.

„Cùm Constitutio Innocentii in „Galliam advenisset, Mazarinus ali- „quot Episcopos, hoc est numero 28. „qui tum fortè Parisiis aderant, 11. „Julii 1653. corrasit." pag. 7. "Coi- „tio illa Curialis 28. Episcoporum, „Duce Mazarino, de plenitudine u- „surpatæ potestatis suæ epistolam en- „cyclicam misit ad cunctos Archie- „piscopos & Episcopos Regni (qui „supra ducentos in numero sunt) „continentem præscriptum cujusdam „Formulæ, quâ Constitutio publican- „da esset à Præsulibus omnibus in suis „respectivè Diœcesibus & Ecclesiis." pag. 8.

"Mazarinus... iterum anno sequenti „1654. 26. Martii Episcopos 38. coë- „git in Luparam... quos inter non- „nullos tam projectæ famæ extitisse „ferunt, ut, si Patri Bagotio fides, me- „lius sit de illis altum silere, quàm „Rectorum, super Ecclesiæ candela- „brum locatorum, ulteriùs nudare „propudia." Ibid.

"En tibi, quantâ potui brevitate, de- „liniatum concentum illum mirificum „Ecclesiæ Gallicanæ... Ne vola qui- „dem

„dem Ecclesiasticæ juxta leges sacras
„consensionis est in universo isto nego-
„tio curiali; sed totum à capite ad cal-
„cem machinatio, discordia, factio,
„dominatus, oppressio." Pag. 19.

"Conventus ille Gallicanus, *habitus*
„4. *Sept.* 1700. (cujus quandam cen-
„suram ventosus institor oggerit §. 12.
„*Defensionis*) indubiè conflatus fuerit
„ex quibusdam reliquiis superiorum
„cœtuum: quorum authoritas in hac
„materia (ut ex Historia in præceden-
„tibus recensita manifestè cernitur)
„solio judicandi excidit." Pag. 38.

Præterea idem Apologista ipsum quoque Alexandrum VII. indignè accipit ejusdem Apologiæ III. pag. 10. & 11. innixus testimonio Authoris *Historiæ Generalis Jansenismi*, de quo posteà, authoritate Santamorei, de quo alibi, & votis Consultorum declaratis apocryphis: idque etiamnum audet, postquam obmutescere debuit ad illa omnia quæ pro eodem Alexandro vindicando, ex ipsomet Santamoreo produximus, præsertim ad calcem *Historiæ Brevis*, in principio responsionis ad primam objectionem, & in fine responsionis ad secundam.

Præfatis autem obtrectationibus op-

„pono

pono dumtaxat illud Exodi 22. *Diis non detrahes*, & hanc ipsius Apol. III. pag. 28. sententiam: "Scriptor libelli famosi, ,, nisi probârit vel libellum à se non esse ,, scriptum, vel famosum non esse; tum ,, crimen tum pœnas incurrit in alienæ ,, famæ rosores à legibus constitutas."

Itaque hic finem faciamus: nam ea quæ ulteriùs movet Apologista, antè soluta sunt: ex. g. illud quod dicit de *judicio contradictorio*, solutum est ad calcem *Historiæ Brevis*, respondendo ad objectionem secundam inter sex reliquas: & alia alibi sunt soluta; saltem illis demptis quæ tantummodò verba sunt: ac pariter eo dempto, quod expostulat Apologista me cujusdam sui de libro Janseniano pronuntiati (quod non stolidum, uti queritur, & uti fortè potuissem, sed dumtaxat temerarium dixeram) rationem, quâ stoliditatis istius colorem omnem se peremptoriè diluisse jactat, inurbanè resecuisse in Præfatione *Defensionis.* Quapropter hic respondeo me Lectorum arbitrio relinquere an *dictum* istud in *Defensionis* Præfatione relatum, non sit ita temerarium & absurdum, ut jure merito censeatur de illorum esse numero, ad quorum probationem attendi non de-

 ber,

bet, antequam rejiciantur. Neque enim existimat ipse Apologista quòd sententiam quantumvis absurdam ex aliquo Authore desumptam, palam explodere nequeat, nisi simul rationem talis sententiæ ab eodem Authore productam referat.

Verumtamen demus ipsi quod postulat. Hoc itaque est ejus dictum: *Scriptoris gloriosi* (nempe Jansenii) *volumen tum dignitate materiæ, tum excellentiâ sapientiæ, tum pietatis afflatu, libris omnibus quos Ecclesia Dei post Canonicas scripturas protulit, aut non cedere, aut palmam etiam cum laude auferre.* Apol. 1. pag. 23.

Et hæc est ratio ibidem allegata. "Si „enim nullâ Authorum cæterorum „injuriâ, Augustinus Patrum summus „in Ecclesia habetur ac creditur; quid „ergo libratâ sententiâ pronuntiandum de Opere, quod Augustini me„dullam ex omnibus Scriptis ejus coa„gulatam, pulcherrimo ordine dige„stam, à primis fundamentis ad sum„ma usque fastigia deductam con„tinuâ rationum serie velut implexis „sibi ansulis concatenatam, atque ab „omnium objectionum cavillationum„que argutiis liberatam gravissimo ac

„fa-

„facundissimo eloquio continet." Hæc igitur est ratio, *stoliditatis istius colorem omnem diluens peremptoriè*, si Panegyristæ hìc credimus. Sed, pluribus quæ adduci possent, prætermissis, tanquam in re tam certa minimè necessariis, audiamus eundem Panegyristam in Prologo Panegyreos pag. 8. de eodem Jansenii Opere sic loquentem. "Nam (citra „omnem exaggerationem loquor) plusquam millenis periodis doctrinam er„roribus quorum insimulatur, conti„guam pertractat, versat, reversat, „recinit, & (si quod est dicere liceat) „cum fastidio Lectoris paululum vi„vacioris ingeminat. Vel enim eam „pro basi locat, vel ex præmissis de„ducit, vel uberiùs illustrat, vel for„tiùs inculcat, vel ab objectionibus „adversantium perpurgat ac liberat. „adeò ut si quinæ istæ hæreses à Jan„senio verè edoceantur, longè maxi„ma pars totius Operis non aliud quàm „continuus aberrationum & hæreseon „cento sit."

Porrò sicuti Paragrapho 1. & alibi demonstravimus, Panegyrista Jansenium & ejus librum non à quinque famosarum Propositionum hæresibus, sed tantùm ab hæresibus aliis quæ Pro-

positionibus istis affinguntur, vindicare contendit: dumque Jansenium errorum insimulari conqueritur, hoc de erroribus Lutheranis aut Calvinisticis alibi recensitis intelligit; ac proinde doctrinam quinque Propositionibus correspondentem, quam vocat *contiguam erroribus quorum insimulatur Jansenius*, ab ipso Jansenio tractari, versari, reversari, recini, &, cum fastidio Lectoris paululum vivacioris, ingeminari non diffitetur. Quamobrem, nisi ipse hic contra librum Jansenii hyperbolicè locutus esse videretur, possemus inferre, quod, cum ipsa proculdubiò famosarum quinque Propositionum doctrina, & non tantùm alia ipsis afficta, per Constitutiones Ecclesiasticas sit damnata; *longè maxima pars totius Operis* Jansenani *non aliud quàm continuus aberrationum & hæreseon cento sit.*

Noli esse incredulus, sed fidelis.
Joannis 20.

FINIS VINDICIARUM.

LA